



Ordine di Sant'Agostino

Provincia Agostiniana d'Italia

*Progetto culturale "Gli Agostiniani in Italia"*

Laboratorio di ricerca sulla storia, l'arte e la spiritualità  
dell'Ordine Agostiniano in Italia

Ignacio Aramburu Cendoya

*Constitutiones Ratisbonenses (I parte)*

Textus Latinus

Estratto da Miguel Angel Orcasitas (a cura di), *Passato e presente  
dell'Ordine di S. Agostino. La sfida con la storia – 750° Anniversario della  
Grande Unione dell'Ordine: 1256-2006*, Eurofilm Audiovisivi, Torino  
2006, CD Rom PC+DVD Video

***Centro Culturale Agostiniano onlus***

Via della Scrofa, 80 - 00186 Roma - Telefono / Fax 06-6875995  
Sito web [www.agostiniani.info](http://www.agostiniani.info) - E-Mail [centroculturale@agostiniani.it](mailto:centroculturale@agostiniani.it)

© 2007 Centro Culturale Agostiniano onlus

I diritti di traduzione, riproduzione, di memorizzazione elettronica  
e di adattamento totale o parziale con qualsiasi mezzo (compresi i microfilm e le copie fotostatiche)  
sono riservati per tutti i paesi.

**Centro Culturale Agostiniano onlus**

Via della Scrofa, 80 - 00186 Roma

Telefono/fax 06-6875995

Web [www.agostiniani.info](http://www.agostiniani.info) - Email [centroculturale@agostiniani.it](mailto:centroculturale@agostiniani.it)

**Provincia Agostiniana d'Italia**

Convento S. Rita

Via Colle delle Rose, 30 - 00060 Riano (RM)

Tel. 06-9036121 – Fax 06-9036213

Web [www.agostiniani.it](http://www.agostiniani.it) - Email [segretario@agostiniani.it](mailto:segretario@agostiniani.it)



---

## CONSTITUTIONES RATISBONENSES

### *TEXTUS LATINUS*

Ed. Ignacio ARAMBURU CENDOYA, O.S.A., *Las primitivas Constituciones de los Agustinos [Ratisbonenses, del año 1290]*, Valladolid 1966, pp.1-161 (en adelante, Aramburu).

### INDICE

INCIPIT PROLOGUS CONSTITUTIONUM FRATRUM EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI, ET ORDINIS EORUM.....	3
INCIPIT PROLOGUS ADDITIONUM EIUSDEM ORDINIS .....	3
CAPITULUM I.....	3
CAPITULUM II .....	5
CAPITULUM III.....	6
CAPITULUM IV .....	8
CAPITULUM V.....	9
CAPITULUM VI.....	10
CAPITULUM VII.....	11
CAPITULUM VIII.....	12
CAPITULUM IX .....	14
CAPITULUM X.....	16
CAPITULUM XI.....	17
CAPITULUM XII.....	18
CAPITULUM XIII.....	19
CAPITULUM XIV .....	21
CAPITULUM XV.....	22
CAPITULUM XVI .....	23
CAPITULUM XVII.....	25
CAPITULUM XVIII .....	26
CAPITULUM XIX .....	28
CAPITULUM XX.....	30
CAPITULUM XXI .....	32
CAPITULUM XXII.....	34



CAPITULUM XXIII .....	36
CAPITULUM XXIV .....	37
CAPITULUM XXV .....	40
CAPITULUM XXVI .....	40
CAPITULUM XXVII .....	41
CAPITULUM XXVIII .....	41
CAPITULUM XXIX .....	42
CAPITULUM XXX .....	44
CAPITULUM XXXI .....	47
CAPITULUM XXXII .....	51
CAPITULUM XXXIII .....	56
CAPITULUM XXXIV .....	60
CAPITULUM XXXV .....	61
CAPITULUM XXXVI .....	64
CAPITULUM XXXVII .....	72
CAPITULUM XXXVIII .....	74
CAPITULUM XXXIX .....	78
CAPITULUM XL .....	81
CAPITULUM XLI .....	86
CAPITULUM XLII .....	87
CAPITULUM XLIII .....	88
CAPITULUM XLIV .....	89
CAPITULUM XLV .....	91
CAPITULUM XLVI .....	94
CAPITULUM XLVII .....	96
CAPITULUM XLVIII .....	97
CAPITULUM XLIX .....	98
CAPITULUM L .....	99
CAPITULUM LI .....	100



## **INCIPIT PROLOGUS CONSTITUTIONUM FRATRUM EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI, ET ORDINIS EORUM**

1. Quoniam ex praecepto Regulae Patris nostri Augustini iubemur habere cor unum et animam unam in Domino, iustum est, ut qui sub una Regula et unius voto Professionis vivimus, uniformes in observantia sanctae Religionis inveniamur, quatenus unitatem, quae interius observanda est in cordibus, foveat et reprezentet uniformitas exterius servata in moribus. Quod prefecto eo competentius poterit observari, et facilius memoriter retineri, si ea quae agenda sunt scripto fuerint commendata, et in omnibus qualiter sit vivendum scriptura teste innotescat.
2. Mutare, vel addere, vel minuere, nulli quicquam propria voluntate licebit: ne si minima negligimus, paulatim defluamus.
3. Ad haec tamen in Conventu suo Prior dispensandi cum Fratribus potestatem habeat, cum sibi aliquando videbitur expedire, nisi in his casibus, in quibus dispensari expresse aliqua Constitutio contradicit. Piores etiam utantur dispensationibus, pro loco et pro tempore, sicut alii Fratres.
4. Ut igitur paci et unitati totius Ordinis provideamus, volumus et declaramus, ut Constitutiones nostras non obligent nos ad culpam sed ad poenam, nisi propter praeceptum vel contemptum.
5. Hunc ergo librum conscripsimus, in quo quisque nostrum quid agere, vel qualiter ubique se habere debeat, continetur.

## **INCIPIT PROLOGUS ADDITIONUM EIUSDEM ORDINIS<sup>1</sup>**

Frater Thomas, Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, licet indignus, dilectis sibi in Christo Prioribus et Fratribus universis eiusdem Ordinis salutem in Domino sempiternam.

Ad tollendas prolixitatem et confusionem, quae ex varietate Statutorum provenire dignoscitur, ex commissione Capituli generalis Parisius celebrati anno Domini MCCCXLV, infra octavas Apostolorum Petri et Pauli, de omnibus definitionibus breve moderamen congestum vestrae caritati transmittimus, mandantes quatenus secundum solitum corpus Constitutionum Ratisponentium, cum additionibus et modificationibus praesentibus, in fine earundem Constitutionum adnectendis, vos regere debeatis, omnibus aliis definitionibus seu Statutis Ordinis usque in praesens editis, auctoritate eiusdem Capituli, revocatis.

## **CAPITULUM I**

---

<sup>1</sup> Adiciones de Fr. Tomás de Estrasburgo, en 1345-1348 (Aramburu, 17, 23).



## QUOMODO FRATRES INTRENT AD HORAS CANONICAS

6. Audito primo signo ad Matutinum, festinent surgere omnes Fratres, munientes se signo crucis et honeste atque composite Ecclesiam adeuntes, antequam ingrediantur aqua benedicta se aspergant et ingressi inclinent se ante maius altare profunde et reverenter, ac postea vadant stare in locis suis ordinate. Et hic idem modus intrandi ad omnes alias Horas in omnibus est servandus.

7. Pulsato itaque ultimo signo, et ad signum Maioris dicto sub silentio Pater noster, Fratres dicant Matutinum de beata Virgine, versi ad altare et crucis signaculo se signantes, quod tam in inchoatione Horarum beatae Virginis quam diei volumus observari, incipient Matutinum diei, debito modo prosequentes secundum modum Romanae Curiae, prout est in Breviario ordinatum, iuxta quod totum Officium per anni circulum volumus observari.

8. In Matutinis autem Cantores moneant Fratres surgere ad Responsoria decantanda, quibus volumus in his, et in aliis ad eorum officium spectantibus, sine contradictione aliqua oboediri.

## ADDITIO

Circa primum capitulum Constitutionum de divino Officio addicimus quod Piores Provinciales in omnibus locis suaे Provinciae pervailem habeant diligentiam circa divinum Officium, ut distinete, et punctactim atque morose dicatur, et quod in omnibus servetur forma Romanae Curiae, tam in Festis quam in Commemorationibus Sanctorum. Et omnes Horae canonicae, diurnae pariterque nocturnae, cantentur cum nota, ac etiam Sexta.

Festa autem haec, quae olim in nostro Ordini non celebrabantur a modo ubique peragantur, et in Kalendaris, suis locis, scripta habeantur, Videlicet: Dedicationis Basilicarum nostri Salvatoris, et Apostolorum Petri et Pauli; festum Nivis quod celebratur quinto idus augusti; sancti Ludovici regis Franciae; Corporis Christi infra cuius octavas non fiat de aliquo alio festo, nisi sit duplex; festa quoque utriusque Translationis corporis Sancti Augustini, quarum prima celebratur ultima die februarii, quando translatum fuit de Hippone in Sardiniam, secunda vero peragitur undecima die mensis octobris, et appellatur a quibusdam festum Reconditionis, quod tunc translatum de Sardinia, reconditum est Papiae; infra octavas etiam Depositionis eius de nullo alio festo fiat, nisi de Decollatione beati Joannis Baptiste, et tunc fiat tantummodo commemoratio de beato Augustino; et festum Sancti Thomae de Aquino, quod cadit die septimo martii; Vigilia quoque beatae Virginis, singulis diebus post Completorium dicatur sine nota, et sextis feriis cum nota, praeterquam illis diebus quibus officium beatae Virginis in ecclesiis non legitur. In fine etiam cuiuslibet Horae, flexis genibus, dicatur *Salve, regina, cum versu Ave, Maria et oratione Concede, misericors Deus.*

Quilibet Prior Provincialis, sub poena privationis sui officii, diligenter inquirat qualiter divinum Officium a Fratribus dicatur; et si quos invenerit non dicere Horas canonicas et saepe non celebrare, puniat eos animadversione condigna. Et sub eadem poena Priori Generali signare procuret, ut tamquam a via salutis devii, a nostra Religione perpetuo sint infames.

Piores etiam Provinciales in suis Provinciis diligenter inquirant Fratres Clericos quasi



legere nescientes, et eos cogant, aut infra dimidium annum sciant legere competenter et postea proficiant in legendis, aut de cetero non ferant tonsuram clericalem, et voce perpetuo sint privati.

Item quilibet Provincialis in sua Provincia compellat Fratres ad habendum Breviaria, si habeant unde.

## CAPITULUM II

### DE OFFICIO FRATRUM ILLITERATORUM, ET DE OPERIBUS MANUUM

9. Fratres Laici, praemisso *Pater noster*, quod dicere debent sicut Clerici ad omnes Horas, vel flexis genibus vel inclinati profunde, reverenter incipiunt Matutinum de beata Virgine, hoc modo: *Domine, labia, etc. Deus, in adiutorium meum, etc.* cum *Gloria Patri et Sicut erat*. Dicant autem pro Matutinis viginti quinque *Pater noster*, et in fine cuiuslibet, excepto ultimo, dicant *Ave, Maria*, etc. In fine autem ultimi *Pater noster*, cum dixerint *sed libera nos a malo*, subiungant *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum, etc. Domine, exaudi. Et clamor. Benedicamus Domino. Deo gratias*. Hoc quoque modo Horas tam de die quam de beata Virgine debent terminare. Deinde, versi ad altare, signent se signo crucis, et incipiunt Matutinum de die, eo modo, quo Matutinum de beata Virgine incepérunt.

10. Omni autem tempore, dicant pro Matutinis viginti quinque *Pater noster*, et pro Laudibus decem, et in fine cuiuslibet, excepto ultimo, dicant *Gloria Patri et Sicut erat* profunde inclinando. Alias Horas omnes, tam de die quam de beata Virgine, excepto Completorio, sic incipiunt: *Deus, in adiutorium meum intende. Domine, ad adiuvandum. Gloria Patri et Sicut erat*. Completorium autem sic incipiunt: *Converte nos, Deus, salutaris noster. Et averte, etc. Deus, in adiutorium, etc.*

ut supra.

11. Pro qualibet autem Hora de die dicant septem *Pater noster*, sed pro Vesperis decem. Et in fine cuiuslibet, excepto ultimo, dicant *Gloria Patri et Sicut erat*. Et pro qualibet Hora de beata Virgine dicant septem *Pater noster*, et in fine cuiuslibet dicant *Ave, María*.

12. Pro Matutinis Fidelium Defunctorum in ferialibus diebus dicant viginti quinque *Pater noster*, et pro Vesperis septem. Et in fine cuiuslibet dicant *Requiem aeternam, etc. Et lux perpetua, etc.* Sed cum orant pro singulari defuncto, dicant *ei ubi dicunt eis* cum pro pluribus orant. Totum autem suum Officium Fratres Laici ubique dicant sub silentio.

13. Ipsisque Fratribus Laicis inhibemus, ut nisi Psalterium distincte legere sciverint, in eo vel libro alio legere non praesumant. Et si quis contra fecerit, pro qualibet vice tres dies in pane et aqua ieiunare cogatur. Et qui docuerit legere, eandem poenam portet. Nec alicui Fratri Laico quantumcumque legere sciverit ullo modo concedatur habere coronam.

14. Statuimus quoque, ut tam Fratres nostri, quibus Deus donum scientiae dedit, quam ii qui sciunt manibus operari, Fratribus aliis sive Conventibus servire gratis de talento eis tradito, secundum Priorum suorum mandatum, teneantur: ita quod nulli liceat, absque Superioris sui licentia, vel sibi ipsi vel foris alicui aliquid operari. Et si ulli ex Fratribus nostris alicui in Ordine libros scribere, vel aliquid operari concessum fuerit, unde pretium



aliquid, vel emolumentum percipiat, id debeat in suis et aliorum necessitatibus, secundum sui Prioris arbitrium, dispensari. Extra Ordinem quidem nulli omnino liceat pro pretio aliquid operari, seu ab aliquo extraneo pretium recipere<sup>2</sup>.

15. De arte vero medicinae, seu cirurgiae, nullus Frater nostri Ordinis penitus se intromittat, nisi in ipsa scientia fuerit ita sufficienter edoctus, quod Prior et Definitores provincialis Capituli eidem concedant licentiam in facultate huiusmodi consulendi. Ad incisionem tamen seu ad exustionem si morbus aegroti hoc requirere videatur, huiusmodi licentia nullatenus se extendat.

16. In aedificatione autem Ecclesiarum, Domorum et claustrorum Ordinis nostri, semper in principio primo magistri habentes experientiam artis requirantur, de quorum consilio fundentur et in opere procedatur.

## ADDITIO

Circa secundum capitulum de operibus addicimus Constitutioni quod caveatur ut aedificia Conventuum fiant de consilio magistrorum habentium experientiam artis, de maioris et sanioris partis Fratrum Conventus consilio fieri debere; quod si quis contrarium fecerit, temporalibus bonis eidem ab Ordine concessis privetur, et cedent in utilitatem Conventus, in opus bonum et utile convertenda, et nihilominus permaneat per biennium inhabilis ad omne officium cum cura animarum.

## CAPITULUM III

### QUANDO ET QUOMODO FRATRES INTRENT CAPITULUM, ET DE MODO IN EO TENENDO

17. Post Matutinum omni tempore, exceptis diebus Coenae Domini, et Parasceve, et Sabbato Sancto tantum, ubique in Ordine nostro, Fratres Capitulum intrent sive dies ferialis fuerit sive festus. Intrante vero Conventu Capitulum, vadant singuli sedere in locis suis ordinate, inclinantes se prius ad Crucem: et si Prior vel eius vicem gerens ultimo venerit, omnes ei reverenter assurgant.

18. Ipso igitur Priore et ceteris post eum sedentibus, Lector surgat, et quae sequenti die in Kalendario vel Martyrologio sunt pronunciet, scilicet quotus fuerit in mense dies sequens et quod in ea festum vel vigilia, vel utrumque; et in fine subiungat: *Et aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, Confessorum atque Virginum.* Tunc surgentibus omnibus, et ad Crucem se vertentibus, dicat Hebdomadarius: *Pretiosa in conspectu Domini, etc.* Et ad primum *Deus, in adiutorium meum intende,* Fratres signent se signo crucis. Completa oratione *Dirigere,* sedeat Prior, et Conventus post eum. Lector itaque stans dicat: *Iube, Domine,* inclinans se ad benedictionem Prioris, qui det illam, aut tenens locum eius, alioquin

<sup>2</sup> VERODUN. Omite: Extra Ordinem... pretium recipere. (código Verodunense, Biblioteca municipal de Verdún, ms 41. Este código perteneció al convento de Barfleur. «Escrito en el s. XIV, representa el texto anterior [1285] a las Constituciones Ratisbonenses», que son de 1290), [en adelante VERODUN.] (ARAMBURU, pp. 22-23)



antiquior in Ordine, qui fuerit in Capitulo, ut in Breviario reperitur. Et Lector legat Capitulum quod pro tempore habetur. Et dicto *Tu autem*, subiungat *Commemoratio Fratrum, familiarium, propinquorum et benefactorum defunctorum Ordinis nostri.*

Tunc Prior dicat: *Requiescant in pace.* Et Conventus respondeat: *Amen.* Tunc Prior dicat: *Adiutorium nostrum, etc. Qui fecit.* Deinde *Benedicite*, ut in Breviario continetur<sup>3</sup>.

19. His expletis, Lector legat de Constitutionibus quantum Priori placuerit, et ex tunc accedat reverenter ad Priorem, librum Constitutionum afferens, locum lectionis ei digito ostendens, et postea vadat sedere in loco suo. Prior autem, nisi fuerit hora nimis brevis, sententiam lectionis, si adfuerint ibi Fratres eam non intelligentes, exponat eis. Et si omnes intelligentes fuerint, de lectione ipsa, quantum ei videbitur. Lector legat. Volumus enim ut Constitutiones nostri Ordinis in Capitulo sic frequenter legantur, ut eas etiam nullus minus intelligens ignoret. Exposita vero aut lecta lectione eadem, si de culpis agi debebit, Prior dicat: *Agamus de culpis.* Et tunc omnes prosternant se, qui cognoverint se culpabiles, et ipsis dicat Prior: *quid dicitis?* Et quilibet eorum respondeat, dicens: *meam culpam.* Et dicat eis: *surgite.* Qui surgentes humiliter et pure confiteantur culpas suas, incipientes a senioribus, ita videlicet, ut completo choro Subprioris, incipient a capite alterius chori. Et uno stante et seipsum accusante, ceteri sedeant et taceant donec dixerit.

20. Et si aliquis de non prostratis fuerit proclamatus ab aliquo Fratre, qui modus proclamationis talis est: *Frater N. habet dicere suam culpam*, et ipse sic proclamatus prosternat se, dicens humiliter: *meam culpam.* Et postea surgat, Priore sibi dicente: *surge*, et humiliter et pure confiteatur culpam suam. Quod si non recordatur, dicat proclamans: *recordetur Frater, quod tale quid dixit vel fecit.*

21. Si vero Fratres hospites habent dicere culpam suam, antequam Fratres conventuales eam humiliter confiteantur. Conversi vero faciant illud idem.

22. Si autem in Capitulo sermo fieri debebit, is qui facturus est illum, flexis genibus benedictionem suscipiat a Priore.

23. Expletis vero omnibus quae eadem hora instant, surgat Prior et ceteri post eum, et versis omnibus ad Crucem, dicat Prior: *Adiutorium nostrum.* Ad quod Conventus respondeat: *qui fecit.* Et hoc dicto, inclinent se omnes ad Crucem, et sic cum silentio egrediantur. Quando autem de culpis non agitur et silentium non solvit, *adiutorium nostrum* semel dictum sufficiat<sup>4</sup>.

24. Secunda vero et sexta feria de culpis agatur in Capitulo. Et aliis diebus de culpis agi poterit si, causa aliqua rationabili subsistente, discretioni Prioris videbitur expedire.

25. In illis autem locis in quibus viget Studium Theologiae, exceptis illis diebus in quibus de culpis agendum est, Prior, maxime tempore hiemali, dispensare, si sibi videbitur, poterit, ut non omni die Capitulum Fratres Studentes intrent.

## ADDITIO

<sup>3</sup> VERODUN.: ...aque Virginum. Et si die ipsa festum aliquod aut Vigilia non fuerit, pronunciato die, addat: *et natale plurimum sanctorum Martyrum, etc.* Tunc surgentibus...

<sup>4</sup> VERODUN.: ... Quando autem de culpis vel alio aliquo non agitur, et silentium non solvit *Adiutorium nostrum*, quod dicitur post *Pretiosa ante Benedicite*, Capitulum terminatur.



Circa tertium capitulo de modo procedendi in Capitulo addicimus quod cuilibet Fratri, cui poenitentia debet imponi, dicatur quare talis poenitentia imponatur, et ante poenitentiam detur ei locus debitae defensionis, cum contra rationem sit quod aliquis sine audiencia condemnetur. Contra facientes per suum Superiorem graviter puniantur, et sententia taliter data vel poenitentia contra hanc formam imposta nulla sit ipso facto. Per hoc tamen nolumus intelligi quod in correptionibus in nostro Ordine fiendis sicut in foro contentioso procedatur, sed procedendum erit potius simpliciter et de plano, secundum nostrarum Constitutionum tenorem. Inhibentes ne quis ab huiusmodi correptionibus et defensionibus recursum habeat ad iuristas. Si quis vero a processibus, seu visitationibus aut correctionibus officialium Ordinis nostri indebite et frivole appellaverit, ex nunc prout ex tunc, sic appellantem inepte poenae carceris adiudicamus, inde non liberandum sine Prioris Generalis licentia speciali.

Item si de Fratis alicuius delicto grave scandalum oriatur, possit admitti testimonium saecularium personarum non suspectarum, prius tamen ab eis praestito iuramento de veritate dicenda, et de maturo bonorum Fratrum consilio, ad poenam procedi potest contra talem Fratrem.

## CAPITULUM IV

### QUALITER AD CULPAS AUDIENDAS IN CAPITULO QUOTIDIANO PROCEDATUR

26. In proclamationibus autem culparum hunc modum servari volumus. Ut cum aliis alium proclamat vel ei recordatur, ambo stare debeant, et non loquantur mutuo, ne forte, quod absit, contentiones in Capitulo oriantur. Sed in prima aut tertia persona loquantur. In prima, scilicet: *ego dico omnipotenti Deo meam culpam, et vobis, quia tale quid dixi vel egi.* In tertia autem persona proclamans sic: recordetur Frater N. quod tale quid dixit vel fecit. Et ad Priorem uterque dirigat sermonem suum, qui eis pro culpis suis de quibus confessi fuerint vel convicti, secundum statuta Ordinis, poenam imponat.

27. In Capitulo nullus sine licentia loquatur, nisi duabus de causis, scilicet, culpas suas vel alterius dicendo, et Priori suo ad interrogata respondendo.

28. Et si ullius culpa talis fuerit, quod disciplina sit digna, Prior solus det illam.

29. Quod si quis forsitan superbia ductus, culpas suas confiteri vel pro eis disciplinam Ordinis subire noluerit, Prior non statim sententiam ferat in illum, nisi forsitan talis sit casus cuius correctio ullo modo absque gravi periculo differri non possit, ut puta, quando, si incorrectus recederet, Ordini fortasse scandalum generaretur: et tunc Prior mittat ad eum de senioribus, qui blandis sermonibus et piis exhortationibus ad satisfactionem illum inducant. Si autem ipse, quod Deus avertat, expectatus per diem et noctem, et exhortatus videlicet semel, secundo et tertio a duobus, vel tribus de senioribus, alternativam vel simul, obstinati cordis extiterit, satisfacere nolens, ex tunc Prior secundum Constitutiones Ordinis nostri procedat in ipsum, non obstante etiam si ad Superiorem appellaverit, cum a correptione nulli liceat appellare. Si vero culpa huius delicti in Constitutionibus non fuerit taxata, habito



seniorum de loco consilio. Prior secundum suum discretum arbitrium ut per Regulam beati Patris nostri Augustini Praeposito est indultum, procedat in illum<sup>5</sup>.

30. Ex sola suspicione aliquis aliquem non accuset; et si contra fecerit, accusans sustinere cogatur poenam quam accusatus, si fuisse de obiecta sibi culpa convictus, portare debuisset. Eandem poenam sustineat, qui in probatione defecerit alicuius accusationis.

31. Rursus, si quis alicui crimen obiecerit, quod ipse tanquam sciens eum commisisse, illud etiam iuramento se ingerat affirmare, ut pote, quia ipsius criminis particeps vel conscius fuit, non admittatur contra eum, cui crimen obiecit, cum ipse turpitudinem suam allegare non possit: sed idem, sicut reus culpae, quam se commisisse ex ore suo convictus est, publice puniatur. Quod si is, qui obiecit crimen, usque tunc vitae laudabilis et sanctae conversationis extiterit, et de eo cui crimen obiicitur, quod illud vel simile alias commiserit apud graves personas nostri Ordinis, inter quas conversatus est, sit opinio laesa, licet contra eum non procedatur ad poenam, quae tali culpae debetur, eo quod non sit legitimus accusator et sufficiens testimonium non appareat, nihilominus de Provincia, vel saltem de loco, ubi id ipsum dicitur commisisse, removeatur, et in loco alio collocetur. Sed si non est auditus huiusmodi sermo de illo, ipse accusatus, cuiuscumque meriti sit accusans, ob id gravari in aliquo non debet.

## CAPITULUM V

### QUALITER FRATRES SE HABEANT QUANDO AD HORAS, CAPITULUM, COLLATIONEM, REFECTIONEM TARDE CONTIGERIT EOS VENIRE

32. Quisquis ad Matutinum, vel ad alias Horas tarde venerit, intrans Ecclesiam, more solito ante maius altare inclinet profunde et reverenter, et erectus stet inmobilis, donec ad suum locum vadat, si signum fuerit ei factum a Priore: qui, audito signo, iterum ante altare inclinet, ut supra, et sic ad locum suum vadat.

33. Ad Capitulum vero seu ad Collationem, vel ad refectionem tarde veniens, simili modo coram Priore inclinet, et erectus similiter stet, quounque ad locum suum Prior innuerit ire: qui inclinans eodem modo, in loco suo stabit, salvo quod si quis sic tarde ad refectionem vel Collationem veniat, ut iam Fratres sedeant in locis suis, ei nullus cedet, sed in ultimo loco sedebit.

34. Ad Horas illum intelligimus tarde venire, qui ad inchoationem Horae in choro non fuerit. Idcirco stricte inhibemus, ut pulsato secundo signo ad Horas, extra chorum cum aliquo, sine speciali licentia Maioris, nullus audeat remanere, nisi forsitan cum venerabilibus personis, nec in choro existens, sine speciali licentia Maioris, ab Officio recedat. Ad refectionem, qui benedictioni mensae; et ad Collationem, qui benedictioni potus non interfuerit; et ad Capitulum, cum *Pretiosa* incipitur.

---

<sup>5</sup> VERODUN.: ... cum a correptione iura cuique non indulgeant appellare. Si vero culpa...



35. Qui iustum non habens causam tarde venire in usum duxerit, diutius stare erectus, ut erubescat, cogendus est vel poena alia, sicut censuerit provida Prioris discretio, puniendus. Et si forte quisquam alta sapiens, licet tarde veniat, in locis praedictis se habere, sicut ex ordine mandatur ei, contempserit, si monitus semel et secundo non se correxerit, tanquam inoboediens, ne morbo suo inficiat humiles, puniatur.

## CAPITULUM VI

### QUOMODO MISSAE A FRATRIBUS AUDIANTUR, ET PRO BENEFATORIBUS VIVIS ATQUE DEFUNCTIS, ET FRATRIBUS DECEDENTIBUS DEBEANT CELEBRARI

36. Missam Conventus omnes Fratres simul audiant, nec foris quisquam remaneat, nisi sit infirmus, aut communi negotio occupatus quod commode dimitti non possit, vel de Prioris licentia speciali. Et si aliqui, communibus negotiis occupati, Missae Conventus interesse non potuerint, etiam infirmi, quibus ex motu non surgit probabilis de recidivatione timor, horas obseruant, in quibus privatas Missas audire teneantur.

37. Dum autem Missa Conventus celebratur, Fratres omnes qui in choro sunt sic intendant ad illam, ut pro eo quod agatur in Missis privatis de locis eorum non se moveant, nisi quando existentes in stallis suis, in Missis privatis ipsi beatam Hostiam viderint elevari, nudis capitibus genuflectant, et facta adoratione surgant.

38. Statuimus etiam, ut quilibet Sacerdos, pro Fratribus, et familiaribus, et benefactoribus defunctis Ordinis nostri, omni anno, incipientes a festo Sancti Michaëlis dicat tres Missas; Frater vero Clericus unum Psalterium cum *Requiem aeternam* in fine cuiuslibet psalmi; et Frater Laicus quingenta *Pater noster*, et in fine cuiuslibet *Requiem aeternam*.

39. Pro Fratribus quoque familiaribus, propinquis et benefactoribus vivis similiter quilibet Sacerdos dicat tres Missas pro peccatis; Clericus Psalterium; et Laicus quingenta *Pater noster*, cum *Gloria Patri* in fine cuiuslibet *Pater noster*.

40. Decedente vero Summo Pontifice, quilibet Sacerdos de Ordine dicat tres Missas pro eo; Frater vero Clericus unum Psalterium; et Frater Laicus quingenta *Pater noster*, intra viginti dies, postquam ei de obitu suo constabit.

41. Pro Generali Priore Ordinis nostri quilibet Frater Sacerdos dicat tres Missas; Frater vero Clericus Psalterium; et Frater Laicus quingenta *Pater noster*, infra tres septimanas, postquam sibi de obitu suo constabit.

42. Pro obitu vero Poenitentiarii Domini Papae, Ordinis nostri\_quilibet Sacerdos, infra praedictum terminum celebret tres Missas; Clericus et Laicus dicant similiter, suo modo<sup>6</sup>.

---

<sup>6</sup> VERODUN.: ... celebret unam Missam...



43. Decedente vero aliquo de Fratribus nostris, etiam si sit Novitus vel Conversus, quilibet Sacerdos eiusdem Provinciae dicat pro anima eius tres Missas; Clericus vero Psalterium et Frater Laicus quingenta *Pater noster con Requiem aeternum*.

44. Quae autem interdum ex infirmitate vel cuiusquam negligentia omittuntur, ut possint ex plurimorum suffragiis restaurari, volumus ut in quolibet Conventu Ordinis nostri Anniversarium Fratrum nostrorum defunctorum, annuatim, in prima feria post octavam Apostolorum Petri et Pauli debeat celebrari. Patrum vero et matrum, propinquorum et benefactorum nostrorum in prima feria post festum S. Agathae modo simili celebretur. Et praedicti termini ut non tradantur oblivioni in Kalendario conscribantur, et in Capitulo, suo tempore ad modum festivitatum debent recitari.

#### ADDITIO

Circa sextum capitulum de Missis celebrandis addicimus quod decedente Priore Generali, vigiliae et Missae defunctorum, in quodlibet nostri Ordinis loco, cum nota solemniter decantentur. Et quod ad *Homo factus est* in Credo omnes Fratres cum reverentia genua flectant.

### CAPITULUM VII

#### QUOMODO FRATRES SE HABEANT CUM ALIQUOD OFFICIUM EIS INIUNGITUR, ET PRO QUIBUS SUBPRIOR, SACRISTA ET PROCURATOR ABSOLVANTUR

45. Ordinamus, ut cum Prior in Capitulo aut alibi aliquam communem orationem, ut saepius pro benefactoribus, et afflictis aut consimilibus fieri solet, vel quippiam operis, verbo vel signo, alicui ex Fratribus specialiter iniunxerit seu omnibus in communi, devote statim omnes inclinent, se facturos quod eis iniunctum fuerit annuentes. Si vero iniunxerit aliquem praeesse alicui officio in Capitulo, ut est Subprior, Cantor in choro, Magister Novitiorum, Procurator exterior, Sacrista, Portarius, Eleemosynarius, Infirmarius, Servitor hospium, Superstes operum, et consimiles, flectant genua statim, auditio mandato Superioris, se etiam facturos quod iniunctum fuerit confitentes<sup>7</sup>.

46. Omnia enim officia et Domus ministeria committere Fratribus, et inter ipsos ea dividere, proprium est Prioris Domus, excepto quod Subpriorem, Vicarium, Sacristam. et Procuratorem eligant Fratres sui Conventus, quorum electionem acceptabit, sicut in Constitutionibus est distinctum. Quorum auctoritatem decernimus et volumus in sola Prioris consistere voluntate; ita etiam ut si ipsi Subprior, aut Procurator, vel Sacrista, seu eorum aliquis finem auctoritatis, quam in eorum officiis ipse Prior commisit eis, excesserint, et moniti semel, secundo, et tertio in Capitulo ab eo coram Conventu, ulterius id facere praesumpserint, possit eos, auctoritate sua, ab eorum officiis removere.

<sup>7</sup> VERODUN.: ... modo simili celebretur Sacerdos debeat ipsa die de eodem Anmversario celebrare. Et praedicti termini...



47. Constitutione, quae dicit quod Sacrista de voluntate Prioris et Conventus proventus sacristiae debeat expendere, in firmitate sua manente, contra quam nolumus Priorem posse gravare Sacristam.

48. Si autem aliquod ex huius officiis seu quodcumque aliud mandatum, dum illud mandatum non sit iussioni divinae contrarium, alicui subditorum suorum Prior iniunxerit, id iussus sine disceptatione suscipiat, etiamsi grave multum et suis viribus importabile videatur. Sed postea, imbecillitatem suam et praecepti difficultatem Priori suo cum omni humilitate insinuet, et si quod optat obtinere meruerit ab eodem, agat gratias Deo, et humilior fiat; sin autem, sciat sic suae animae expedire, et quantum in eo est faciat, sicut velle noverit imperantem: non enim volumus mandata Priorum nostrorum cassari, nec eorum praecepsis, etiam si valde aut prorsus difficilia ipsi imperent, aliquem contrahere.

49. Si vero, postquam in Prioris sui oboedientiis, secundum sibi datam a Deo gratiam, se coeperit humiliter exercere, probabiliter viderit, ut quod iniunctum est sibi implere, et in eo utiliter laborare, absque interioris vel exterioris hominis periculo, et nimia difficultate non possit, si frustratorias non videatur causas vel excusationes pretendere, Prior eius, si spectat ad eum Fratrem ab oboedientia huiusmodi absolvere vel eidem de socio providere, id faciat, diligenti tamen consideratione seu discretione praemisa. Ad quod, si quacumque ex causa Prior ipse difficile videretur, Conventus, qui in sua prece frustrari non debet apud eum, ut id faciat procurabit.

## CAPITULUM VIII

### QUANDO, ET UBI, ET A QUIBUS SECRETE CONFSSIONES FRATRUM AUDIANTUR

50. Secretae confessiones a Prima usque ad Completorium fieri possunt: sed a Completorio usque ad Primam sequentis diei apud nos nulla privata confessio, nisi Causa infirmitatis, fiat, excepto quod illi qui ante Primam vel post illam immediate celebrare, aut communicare, seu aliqua loca exire debebunt, possint, Fratribus post Matutinum egressis de Capitulo, confiteri, sed in loco Capituli tantum sive coram maiori altari, si tamen sit ibi candela vel lampas ardens et lucens, et non aliter, nec alibi.

51. Statuimus etiam, ut quilibet Frater Ordinis, tam Novitus quam Professus, de mortali peccato si lapsus fuerit, quod Deus avertat, illud proprio Priori, vel de licentia eius, alii debeat confiteri. Tamen de peccato fornicationis et vitio indicibili, et de furto Prior localis, et etiam Provincialis, nulli Fratri Sacerdoti committant, sed ipsi personaliter confessiones subditorum suorum audiant. Verumtamen, si Prior videret periculum Fratris animae inminere, videlicet, quod Frater in tanta pertinacia staret, quod nollet omnino confiteri, liceat Priori huius confessionem subditi sui discreto et provido committere Sacerdoti.

52. Sacerdos aliquem absque Prioris eius licentia, excepto mortis articulo, non absolvat, cum huius absolutio nulla sit. Si autem contrarium factum fuerit, tam absolvens quam



confitens, si Sacerdos fuerit, Fratris alicuius aut extranei confessionem aliquam, nisi in casu mortis, non audiat, donec per Superiorum suum cum eo super hoc fuerit dispensatum<sup>8</sup>.

53. Sed licet nullus simplex Sacerdos possit, sine consensu sui Prioris, a peccato mortali absolvere, volentes tamen in gravioribus casibus cautius obviare, monemus omnes et singulos Sacerdotes Ordinis nostri semel, secundo et tertio, et in virtute Sancti Spiritus praecipimus, quod nullum Fratrem absolvere debeant de furto notabili, fornicatione, et vitio indicibili, sine sui Prioris licentia speciali. Contra autem facientes, tria monitione praemissa in his scriptis, excommunicationis sententia innodamus<sup>9</sup>.

54. Mortale autem peccatum quod solum proprio Priori volumus confiteri, intelligimus esse furtum etiam de re modica; omnem lapsum carnis; omne iuramentum, nisi a Superioris imperio exigatur; omnem coniurationem et conspirationem; simoniam tam in dante quam in recipiente, in quo casu Prior pro absolutione et dispensatione confitentis suo posse laboret; mendacium ex deliberatione; revelationem secreti Capituli; percussionem ex animo factam; incendium; rem celare collatam; et si quem contigerit sine licentia extra loci septam exire; scribere, aut legere, aut tenere, per se vel interpositam personam, libros qui docent artem nigromantiae aut experimentorum, aut alchimiam exercere; apostasiam alicui suadere; alicui personae liberae et utili, volenti ad nostrum Ordinem venire, ullo modo dissuadere, vel nostro Ordini volenti benefacere prohibuere; in aliquo casu vel negotio contra libertatem, vel honorem, sive utilitatem Ordinis seu alicuius Conventus, seu loci vel Fratris eius, oboedientium ipsi Ordini, consilium, vel auxilium ullo modo praebere. Quacumque etiam istis inveniantur graviora, vel similia, eadem Priori volumus tantummodo confiteri.

55. Quisquis vero in aliquo praedictorum casuum peccaverit, propter quod aliquis, sive in persona, sive in fama, sive in rebus, quocumque modo laedatur, quamvis sit eius peccatum occultum, nullus Prior praesumat eum absolvere, nisi prius laeso debite fuerit satisfactum.

56. Praeterea volumus firmiter observari, ut semel ad minus in septimana teneatur Frater quilibet debite confiteri. Si quis autem ex contemptu neglexerit, per Priorem suum publice puniatur.

57. Sacerdos infra annum a promotione sui Sacerdotii confessiones saecularium non audiat, nec etiam qui triginta annorum non habent aetatem, nisi in articulo mortis. Ad Piores vero et Lectores nolumus hanc Constitutionem extendi.

58. In provincialibus vero Capitulis Sacerdotes, qui confessiones audire debeant, a Provinciali Priore et Definitoribus tales eligantur, qui sint bonae famae et scientiae competentis.

---

<sup>8</sup> VERODUN.: Et nullus Prior alienum subditum, vel subditus Sacerdos aliquem absque Prioris eius licentia, extra mortis articulum, absolvat, cum huiusmodi absolutio nulla sit. Nam sic absolvens, et confitens si Sacerdos fuerit, Fratris alicuius.

<sup>9</sup> VERODUN.: nn. 53-54. *Intercala*: Sed si aliquis Frater extra Conventum suum, aliquo, quacumque ex causa, publice, et quod duorum vel trium testimonio probari possit, aliquid egerit quod gravi, vel graviori poena sit aut gravissima puniendum, talis, quicumque sit ille, iudicio et disciplinae Prioris, in cuius loco, seu dioecesi vel districtu quid tale commisit, si pro culpis suis satisfacere sponte renuerit, subiacere cogatur invitus, secundum Ordinis instituta. Quod si effugerit, excessus suos Prior idem quam citius Provinciali vel conventionali Priori eius enuntiare procuret, ut reus et pro culpa quam commisit, et quia contempsit satisfacere, atque fugit ultione graviori puniatur. (Cfr. AnA II, 304-305 et *infra* n. 131).



59. Fratri quoque Novitio Sacerdoti, quatumcumque annoso aut literato, non liceat alicuius saecularis vel Fratris Ordinis confessionem audire nisi in articulo mortis; vel nisi in domo vel loco, ubi ipsum talem Sacerdotem esse contigerit, solus alias Sacerdos Professus fuerit, qui nisi prius confiteatur, celebrare non velit aut non possit; aut si in domo eadem non sit Sacerdos alias praeter ipsum, in quo casu, si Fratres communicare debuerint, eidem poterunt confiteri.

60. Oblationes vero quae Fratribus Sacerdotibus novis quando primam Missam cantant, in quacumque substantia offerantur, totaliter in Prioris et Conventus perveniant potestatem, et ipsi Prior et Conventus de ipsis oblationibus sicut videbitur eorum discretioni disponant.

#### ADDITIO

Circa octavum capitulum de confessionibus audiendis addicimus quod nullus Frater, solo Priore Generali excepto, extra Capitula provincialia, det alicui licentiam confessiones audiendi saecularium personarum, vel praedicandi, cum talis licentia non valeat, eo quod repugnet privilegio a Sede Apostolica nobis super hoc concesso. Si quis autem contra fecerit, per unum mensem, ad nudam mensam refectorii sedens, quartis et sextis feriis panem et aquam manducet. Et eidem poenae subiaceat qui aliquem indignum aut insufficientem ad praedicta officia licentiaverit.

Quicumque vero non licentiatus in provinciali Capitulo confessiones audire vel praedicare praesumpserit, per duos menses in terra sedens poenitebit, nisi a Priore Generali fuerit licentiatus.

Item concedimus cuilibet Priori Provinciali et locali, quatenus, in diebus quibus omnes Fratres communicare debent, secundum Ordinis instituta, liceat eis licentiam concedere omnibus Fratribus sui Conventus, ut de omnibus suis peccatis possint discretis Sacerdotibus confiteri.

Item si Frater aliquis petit licentiam confitendi ab aliquo praedictorum, volumus quod licentia data intelligatur de omnibus illis peccatis de quibus dans licentiam potest absolvere, nisi forte ex rationabili causa, aliquod peccatum expresse decreverit excludendum.

#### CAPITULUM IX

#### **DE FORMA COLLOCUTIONIS FRATRUM CUM MULIERIBUS, ET DE CONFESSIONIBUS EARUMDEM AUDIENDIS**

61. Quoties vero in Ecclesia, aut extra locum, Frater aliquis cum mulieribus loqui debet seu velit, non loquatur, nisi prius licentiam obtainuerit a Priore, et Prior ei de socio idoneo provideat, sine cuius conspectu et auditu loqui cum mulieribus, qui requisitus fuerit, non



debet: nisi mater, vel soror carnalis fuerit, cum quibus Frater loqui poterit, socio non audiente sed vidente<sup>10</sup>.

62. Fratres vero foras missi, pro necessitatibus Domus petendis, loqui poterunt pro ipsis necessitatibus petendis, etiam alter sine altero, cum petendo eleemosynas per vicos separatim vadunt: quia tunc necessitas sic loqui exigit. Intrare tamen domum, seu sedere et confabulari non licebit. Procurator et Fratres alii cum ad procurandum necessaria Fratrum vadunt, poterit Frater, praesente socio suo semper et vidente eum totum, de huiusmodi cum muliere loqui solus, ita tamen quod cum una eademque muliere frequens non sit talis collocutio<sup>11</sup>.

63. Nusquam autem Frater aliquis solus, absque tertia persona praesente, cum muliere sola moram faciat vel loquatur, nec remaneat solus cum ea in Ecclesia, nisi Sacerdos de confessione vel consilio ad fenestram, clauso manente ostio chori cum clavi, quam semper Sacrista tenebit. Sed si in Ecclesia duae fuerint mulieres ad minus, Frater Sacerdos cum eis in communi de Deo, seorsum tantum de confessione vel de consilio cum una earum qualibet, ita tamen quod tres ipsi semper se videant, poterit loqui. Alicui Fratri seni, et alias gravi personae, conceditur illud Idem pro necessitate utili. Alicui autem alii Fratri solum manere cum duabus mulieribus, aut loqui in Ecclesia, etiam simul, nisi ambae aut saltem earum altera eidem vel affinitate in secundo gradu vel consanguinitate in tertio coniunctate sint, non licebit. Quod autem duo iidem Fratres Sacerdotes cum duabus eisdem mulieribus saepius in Ecclesia, alter cum altera, separatim maneant, vel loquantur, aut ad propias domos visitent eas, concedi non debet, nisi ipsis illae consanguinitate in praedictis gradibus coniungantur.

64. Cum autem ad audiendum confessiones qualiumcumque mulierum Frater Sacerdos egreditur, semper ei provideatur de Fratre socio, quem opinio bona commendet, et ubique et semper sic se habeat, ut socius suus patenter videat eum. Quod si contra fecerit, ipse Sacerdos suspensus sit confessione per annum, et in terra, in pane et aqua solum, tribus diebus ieunet coram Fratribus de Conventu. Si autem Frater Clericus vel Laicus in tali locutione privata fuerit repertus, voce careat per annum, et tres dies, simili modo, ieunet. Et si de praedictorum privata locutione scandalum oriretur, acrius puniantur, secundum quod scandali magnitudo requirit.

65. Et si Sacerdos fuerit socius simili negotio occupatus, sic ambo stabunt ut clare possint mutuo se videre. Et si forsitan Sacerdos alicuius mulieris infirmantis confessionem audiat, quae in thalamo vel in loco arcto iaceat, quod socius in eo ut ipsum videat commode manere non poterit, tunc socius ipse, quantum poterit, iuxta ostium thalami manebit, dummodo verba non possit intelligere confitentis.

---

<sup>10</sup> VERODUN.: ... cum quibus, non audiente licet tamen semper praesente et prope stante socio suo, cum illa loqui poterit, vel nisi breviter interrogans vel interrogatus dederit vel cooperit eloquio brevi responsum.

<sup>11</sup> VERODUN.: Sed foras pro necessitate Domus Fratres missi cum illis posse loqui intelliguntur de his quae ad necessaria petenda spectabunt, etiam alter sine altero, ut cum in petendo eleemosynas per vicos separatim vadunt. Quia tune poterit Frater cum muliere extra Domum solus loqui, ac verba exhortationis pauca interponere, eique Fratrum necessitatem et paupertatem Domus exponere. Intrare tamen domum... *Finale*: talis collocutio, quam Prior in nemine sustinebit, nec Frater aliis quin accuset collocutionem huiusmodi frequentantem.



## ADDITIO

Circa nonum capitulum de forma collocutionis Fratrum cum mulieribus addicimus quod Moniales nostri Ordinis, ubique in custodia debita teneantur, ut nullus ad eas omnino possit intrare, nisi in infirmitate alicuius earum confessiones auditurus, vel eas visitaturus. In quibus casibus ordinentur tales de quibus nulla suspicio valeat suboriri; nec in quocumque casu aliquis praesumat comedere vel bibere cum eisdem. Contrarium facientes per mensem subiaceant poenae gravioris culpe, quam quilibet Provincialis observari faciat per oboedientiam, alioquin per Visitatores Generalis, vel per Vicarium ipsius, graviter puniatur.

## CAPITULUM X

**QUOTIES ET QUANDO FRATRES COMMUNICARE DEBENT,  
ET QUA POENA PUNIATUR QUI NON COMMUNICAVERIT**

66 Fratres nostri, tam Novitii quam Professi et Conversi, quindecim vicibus in anno communicare debent, nisi de licentia seu mandato Prioris, propter aliquam causam remanere contingat, videlicet: in prima Dominica de Adventu, in die Nativitatis Domini in die Epiphaniae, in die Purificationis beatae Mariae, in prima Dominica Quadragesimae; in die Annunciationis beatae Mariae, in Coena Domini, in die Resurrectionis, in Ascensione Domini, in die sancto Pentecostes in die Nativitatis beati Ioannis Baptiste, in Assumptione beatae Mariae, in die Nativitatis beatae Mariae, in festo sancti Michaëlis, in festo Omnium Sanctorum<sup>12</sup>.

67 Si quis autem ex Fratribus in die Nativitatis Domini, seu Coenae, aut Resurrectionis, sive in die sancto Pentecostes a communione abstinere petierit, sine manifesta et rationabili causa, non concedatur eidem. Quam causam, si ea recitanda secrete non fuerit, coram Priore et Conventu, vel saltem duobus senioribus de Conventu cum Priore, confiteri penitus teneatur. Quod si facere renuerit, quotidie sedeat in terra coram Conventu secunda, quarta et sexta feria, ad minus, in pane et aqua solum, septimanis singulis ieiunando. Teneat etiam continuum silentium morando in cella, donec de predicta culpa satisficerit, sicut decet. Et talis, cuiuscumque conditionis existat, usque ad Plenam satisfactionem ab omni officio et ministerio Religionis nostrae suspendatur.

## ADDITIO

Circa decimum capitulum de diebus Communionis addicimus quod in die Corporis Christi et in die beati Augustini omnes Fratres debeant communicare.

---

<sup>12</sup> VERODUN.: ... decem et septem vicibus. Pero non sólo 16: tiene N. P. S. Agustín, pero no el Corpus.



## CAPITULUM XI

### QUOMODO, UBI ET QUANDO SILENTIUM OBSERVETUR

68. In choro, in dormitorio, in claustrorum, in refectorio quoque ac in cameris sumnum silentium ubique in Ordine nostro servetur. In Ecclesia vero seu Oratorio possumus saecularium confessiones audire, sed nil manibus operari licebit, nisi quod ad decorum spectet illius. In dormitorio quoque lectioni et orationi vacare poterunt Fratres, scribere etiam et quippiam aliud operari, si id absque ullo sonitu et inquietudine alicuius fieri possit; in quo per totam noctem lampas ardeat et luceat clare. Quod si Prior neglexerit facere, caret vestimentorum provisione, et alias arguatur et puniatur, secundum quod discretioni sui Maioris videbitur expedire.

69. In claustrorum vero officium praevidere, et cantare, et manibus operari licebit, ita tamen quod propter hoc, in eo silentium non frangatur. In aliis etiam locis honestis et omni suspitione parentibus, Fratres ad lectionem, orationem et psalmodiam esse poterunt. Extra vero ambitum domorum orare nocturno tempore aut diurno, cum Conventus dormit, aut reficitur, vel divinis inservit, suspitione dicimus non carere. Ubi vero claustrum non est perfectum, secundum providentiam Prioris, in parte eius loqui licebit, et in parte silentium teneatur. In loco tamen ubi est unum solum claustrum, et locus ipse, quia nimis est arctus, aut secundum claustrum vel domum aliam ubi Fratres interdum, ut mos est Ordinis, loquantur, convenienter habere non potest, Prior cum Conventu, ut in una parte ipsius claustrorum loqui valeat, poterit dispensare.

70. Prior in refectorio ad mensam et in choro de iis quae expediunt, silenter loqui valeat; Magister Novitiorum, cum eis tantum, in eisdem locis, simili modo poterit loqui; necnon et Cantor in choro in distributione officii, qui sic deprimat vocem in loquendo, tanquam loqueretur in aure. In locis autem ipsis et horis silentio deputatis, Fratres qui signa nesciunt, silenter aliquid cum necesse fuerit breviter loqui poterunt, tantum illa quae sola necessitas suadebit.

71. A Resurrectione quoque usque ad festum Omnium Sanctorum, a secundo signo Completorii usque in sequentem diem post Primam, et ab ipso festo usque ad Resurrectionem, et ab eodem signo usque post Missam conventualem sequentis diei, quae immediate post Primam cantatur, alioquin dicta Prima, silentium ubique infra septam locorum nostri Ordinis teneatur, ita tamen quod liceat Prioribus cum laborantibus, et cum illis qui Fratribus et personis aliis supervenientibus deserviunt, horis praedictis in silentio dispensare.

72. Ab ipsa Resurrectione usque ad Exaltationem Sanctae Crucis, diebus quibus non ieunamus, pulsato signo post prandium usque ad Nonam, et diebus quibus ieunamus, sumpta refectione, donec surgendi signum a Sacrista tangatur, Fratres in cellis suis aut dormiant, aut legant, aut oreant, seu utile aliquid operentur, tamen sine inquietudine dormientium vel alicuius eorum, et summum silentium studeant tota devotione servare. Quod si quis forsitan tunc extra cellam suam aliquid voluerit operari, et quod sine ullo sonitu et alicuius inquietudine fieri possit, non illud praesumat facere, nisi prius licentiam obtinuerit a Priore.



73. Et cum Fratres hora debita dormiunt in die vel dormire debent, nisi Prior, causa necessaria subsistente, cum aliquibus vel aliquo aut cum toto Conventu in silentio dispensandum providerit, silentii vincula non solvantur. Atque si huiusmodi causa exigente, cum aliquibus dispensare contigerit, ipsi in loquendo sic deprimant vocem, ut a somno, clamore suo, non excitent dormientes.

74. In omni quoque loco Fratres ad mensam silentium teneant, excepto uno solo, qui maior vel magis notus erit. Si autem in mensa Episcopi fuerint, eis de mandato Episcopi loqui licebit. Cum vero Provincialis Prior in propria Provincia vel aliena ad mensam hospitum fuerit, loqui possit, ita tamen, quod si plures fuerint Provinciales, in loquendo antiquior praeferatur.

75. Prior Generalis Ordinis nostri ad silentium non cogatur, et, si quando ei videbitur, eum aliis in silentio dispensandi liberam habeat potestatem. Benedicte vero dicere seu licentiam loquendi dare in mensa hospitum, vel in alia in qua Fratres comedere aliquando contigerit, nulli alii quam Priori Generali licebit.

76. Concedimus tamen quod Prior Provincialis in sua Provincia eodem modo in silentio valeat dispensare.

## ADDITIO

Circa undecimum capitulum de silentio addicimus moderando quod post Completorium Fratres ad silentium non teneantur, nisi post pulsationem campanellae, quam volumus omni die hora competenti pulsari.

Item quod Priores Provinciales in suis Provinciis, et Magistri in sacra pagina, et Priores locales in suis Conventibus, in loco et extra locum, possint dicere *Benedicite*, praeterquam in refectorio. Et extra refectorium possint ipsi Priores alicui Fratri digniori committere ut in mensa loquatur, et aliis licentiam loquendi concedat, si sibi videbitur expedire.

## CAPITULUM XII

### PRO QUIBUS CASIBUS MULIERES CHORUM ET CLAUSTRUM INGREDI PERMITTANTUR

77. Chorum et claustrum in proprio festo loci, et cum Officium in funere agitur alicuius solemnis personae, et etiam pro praedicatione audienda, ac in magna sexta feria, scilicet, Parasceve, introitus dari mulieribus consuevit. Necnon et ad maius altare ingredi permittantur pro voto reddendo; et cum Sacerdos novus celebrat primam Missam, vel causa alicuius Confraternitatis, seu Societatis vel Scholae statutis diebus in anno, Missa pro devotione advenientium celebratur. Dum vero divinum Officium agitur, chorus pateat viris et exterior Ecclesia tunc mulieribus sit aperta. Aliis autem horis, ad chorum et ad alia habitacula nostra, viris introtus indifferenter dari non permittatur, nisi quibus Prioris discretio provident concedendum.



78 Ecclesia quoque exterior non semper in die sit aperta, sed maneat clausa, maxime dum Conventus est in refectorio aut dormit, quia tunc cum mulieribus in Ecclesia, seu ad portam vel ostium loqui, etiam in foro poenitentiali, nulli Fratri, Priori vel subdito, licebit. Et dum canonicae Horae dicuntur, illud idem volumus observari, exceptis Portario et Sacrista, qui horis antedictis pulsantibus ad portam vel ad ostia Ecclesiae respondebunt; sed non satisfaciant eis, si alicui Fratri loqui petierint, nisi necessitas suadeat prorsus magna, donec Fratres post refectionem gratias egerint, vel a sommo surrexerint, et Horam compleverint in communi, quae instabit. Et ideo caveant Portarius et Sacrista, ne Fratres hora debita dormientes, et existentes in choro ad divina, vel in scholis ad lectionem, solicitent ad exeundum, nisi necessitas fuerit magna.

## CAPITULUM XIII

### QUANTA ET QUALIS CURA HABEATUR CIRCA FRATRES INFIRMOS

79 Circa Fratres infirmos, tam Novitios quam Professos seu Conversos nostros, caveat ne sit negligens Prior, quia cura de eis ante omnia et super omnia est habenda, cum soli Deo serviatur in illis. Si quis tamen talem habeat infirmitatem, quae nec multum debilitet, nec sibi turbet appetitum edendi, ut est inflatura vel incisio cutis in quacumque parte corporis, vel aliquid aliud huiusmodi ex levi causa proveniens, talis nec consueta ieiunia frangat, nec cibos refectorii mutet. Qui vero graviter infirmantur, utpote febris tertianis vel quartanis, duplicitibus vel simplicibus, continuis vel cotidianis, seu alio gravi languore, temporaneo vel perpetuo, laborantes, talium curam uni ex Fratribus, cuius cor possideat timor Dei, Prior iniungat, qui eis cum omni caritate necessaria, die noctisque, ministret. Atque si propter multitudinem infirmantium aut diversitatem infirmitatum solus non sufficit, coadiutor detur eidem.

80 Prior saepe visitet infirmos; de confessione moneat; hortetur ad patientiam; inquirat a quolibet infirmo, si in aliquo tenetur alicui, aut si sibi aliis teneatur; si scit alicuius culpam per quam possit aliquod scandalum Ordini vel Domui generari, et quae, eo decedente, nisi per eum, qui ipsius culpe reus est, investigari non posset; aut si habet alicubi repositum aliquod quod ipse Prior ignoret. Solicite etiam intendat ne aliquid desit infirmario, quod necessitatibus expedit infirmorum.

81. Infirmi enim quamdiu adeo gravati sunt, ut in lectis suis comedere necesse habeant, ad silentium non teneantur, sed cum in convalescentia fuerint, ita ut exire, et adire Ecclesiam, et consimila facere, sine alterius subsidio possint, dum comedunt, sicut qui sani sunt, ad silentium teneantur, excepto quod ad mensam eorum loqui poterit unus ex illis. Et ideo Prior infirmos tales, si maxime post Completorium aut dormiente Conventu inquieti fuerint, ad Capitulum venire faciat, ubi eos increpet, et poenam eis imponat, pro qualitate et quantitate culparum, quam postquam convaluerint sustinere cogantur.

82. Licet autem infirmis omne velimus obsequium, in quantum eorum necessitas exigit et facultas nostra patitur, impartiri, debent tamen ipsi intendere parcitati, et cavere, ne sibi servientes propter Deum, sua superfluitate, contristent. Nec cibos illos exquirant, aut si exquisierint absque consilio medicorum non dentur eis, qui recidivationem magis consueverunt inducere quam sanitatem.



83. Post consuetam de infirmitate convalescentiam, redeant ad Conventum. Quod si quis, tanquam voluptati serviens, in infirmitorio diutius non erubuerit permanere, illum Prior moneat atque cogat ut ad consuetudinem pristinam revertatur.

84. Convaluisse ille credendus est: qui consueto colori suo aut pristinae corpulentiae est restitutus; qui paratus est discursibus; qui labores placidos non abhorret et qui cibos sumit in solita quantitate. Et ideo quisquis post huiusmodi convalescentiae signa redire pigritabitur ad Conventum, ut redeat compellatur, et substrahantur ei cibaria infirmorum.

85 Infirmarii, quamdiu sunt infirmorum ministerio occupati, sub lege silentii non erunt; debent tamen suos sermones moderare, quia infirmis consuevit multiloquium non prodesse. Ipsi etiam quae in infirmitorio necessaria sunt, et quae aguntur in illo, et quomodo se habeant, qui plus minusve graventur, saepe debent intimare Priori, ut ipse tam in moribus corrigendis, quam in procurandis necessariis eorum, qui in infirmitorio fuerint, possit semper vigilantior inveniri.

86. Quod si aliquis aliqua tali infirmitate laborete, ut si differatur cura eius de languoris perseverantia probabiliter timeatur, et talis a Conventu necessaria, forsitan quia nimium eget habere non valeat, de denariis sibi concessis, si quos habet expendat, de conscientia tamen Prioris, et Prior atque Conventus eidem praedictos denarios restituant quam citius poterunt. Quod si facere renuerint, restituere compellantur.

87. Si quis vero de infirmantibus habuerit, sine distractione vestium aut librorum, unde possunt eius necessaria procreari, procurent.

88. Si quis vero Frater nostri Ordinis Novitius, aut Professus vel etiam Conversus, extra Conventum proprium in loco aliquo nostri Ordinis fuerit infirmatus, Prior et Fratres loci ipsius teneantur ei in necessariis omnibus subvenire. Conventus autem suus praedicto loco de expensis, quas pro tali infirmo fecerit, teneatur plenarie respondere.

89. Pudore et honestate regularis observantiae praetermissis, quidam lubrici et ineffrenati, naturae impetum insequentes, colore licitae opportunitatis quaesito, ad balneas et stuphas ire quaerunt, ut eorum ibidem oboediant levitati: verumtamen quia, ut pluries nostri patres et maiores facti evidenter didicerunt, ex hoc plura proveniunt pericula animarum, cupientes huius viae vitiis obviare, omnibus pariter et singulis Fratribus nostrae Religionis stricte et in virtute Sancti Spiritus praecipimus et mandamus, ut nullus ad balnea et stuphas, quae sunt extra locum Ordinis, aliqua occasione ire, vel intrare praesumat, sine magna et evidenti necessitate. Et hoc fiat semper de expressa licentia Prioris Provincialis, in scriptis habita. Quod si quis contra fecerit, pro qualibet vice poenae gravioris culpare subiacere duobus mensibus constringatur, et voce careat, usquequo talis poenitentia per eum, sine diminutione, fuerit adimpta<sup>13</sup>.

#### ADDITIO

Circa tertium decimum capitulum de cura infirmorum addicimus quod in quolibet loco, ubi est possibilitas, sit una domus pro infirmis, extra quam nulli aegro, exceptis Magistris sacrae Theologiae, liceat residere. Nec Conventus teneatur alicui, extra domum illam, in necessariis infirmitatis providere. Quod si defectus huius domus ex negligentia Prioris fuerit,

---

<sup>13</sup> VERODUN.: omitido



careat provisione annuali. Talis autem domus, a nullo qui non sit patenter infirmus possit occupari, praecipue quando in loco sunt aliqui Fratres infirmi.

Ut autem commodius et facilius, sine distractione bonorum loci, habeantur necessaria pro infirmis volumus et mandamus, quod de omnibus introitibus Domus et Sacristiae in pecunia, semper sequestretur pars decima, et ponatur apud aliquem Fratrem fidelem, ad hoc per Conventum electum, qui non sit Sacrista nec Procurator, et ab ipso accipiat infirmarius, aut simul cum ipso expendat de dicta pecunia, pro necessitatibus ipsorum infirmorum, et pro nulla alia causa possit expendi de dicta pecunia, sub quocumque praetextu, nisi forte pecuniae supradictae quantitas multum excederet infirmorum opportunitatem. Et praedictus Frater omni mense rationem reddat sicut Procurator, de praedictis introitibus et expensis.

## CAPITULUM XIV

### DE CURA HABENDA CIRCA FRATRES DECEDENTES, ET QUALITER RES EIS CONCESSAE DISTRIBUANTUR

90. Cum aliquis Frater infirmatur, volumus ut statim omnino pure et debite confiteatur, et tradatur sibi sanctissimum Corpus Christi; et si adeo postmodum gravetur, ut, vel aliquibus inditiis vel medicorum iudicio, de eius non videatur deberi aut posse sperari sanitatem, quamdiu sani et integri sensus est, secundum morem sanctae Ecclesiae catholicae et nostri Ordinis, ungatur, et circa eum omnis custodia et diligentia adhibeatur. Ipsum quoque Prior et Fratres dulciter, verbo et obsequio adiuvent et confortent; atque ab omnibus, orationis quotidiana suffragio, sublevetur. Et sit unusquisque memor suae conditionis, quoniam mors porta est, per quam transit omnis caro. Nec relinquatur sine custode die ac nocte, donec anima eius egressa sit de corpore. In hora egressionis animae eius a corpore, ad signum infirmarii vel Sacristae, sine mora omnes Fratres convenient circa eum, et Officium super eum debito modo persolvant<sup>14</sup>.

91. Mortuus vero spoliatur ab aliquibus, et lavetur ab illis quibus Prior iniunxit, reverenter; et deinde, cuculla indutus, et caligis longis aut brevibus calceatus, et corrigia cinctus, ponatur in feretro. Et tunc, peractis quae debentur ex Ordine sepeliatur honeste.

92. Sepulto eo, et ceteris aliis expeditis, convenient in Capitulo Fratres, quibus Prior iniungat, ut singuli quam citius solvant, secundum statuta Ordinis, debitum pro defuncto.

93. Et si qua bona de iure hereditario post decessum suum remanserint, ad locum qui eum in Christo genuit, deductis tamen expensis infirmitatis et sepulturae, devolvantur. Alia vero bona deveniant ad communitatem Provinciae, de quibus simili modo deducantur expensae. Si aliqua bona hereditaria non habebat, vestimenta et calceamenta tamen volumus quod sint illius loci in quo erat conventualis tempore mortis.

94. Bona vero Generalis Prioris, ubicumque decebat, ad manus Definitorii generalis Capituli deveniant, quae, praeter hereditaria, omnia convertantur in communitatem Ordinis. Quod si fuerit Lector et de aliqua Provincia habuerit libros, illi libri convertantur ad illam.

---

<sup>14</sup> VERODUN.: *Omite: Nec relinquatur... de corpore*



95. Libri autem Lectorum, quos a Provinciis habuerint, ad proprias Provincias revertantur<sup>15</sup>.

96. De libris vero et rebus apostatarum, qui ante mensem ad Ordinem non redierint, et illorum Fratrum qui pro suis culpis perpetuo incarceratedantur, vel de Ordine expelluntur aut licenciantur, simile iudicium, ut superius de rebus defunctorum tactum est, volumus observari.

97. Praeterea, Fratri existenti in sanitate liceat librum sive aliquam aliam rem, de licentia sui Superioris, loco vel alicui Fratri de Ordine dare, ita tamen, quod ipsam rem, vel librum seu usum eius, ex tunc de cetero non possit habere. Quod si secus fuerit factum, concessio sive donatio huiusmodi nullam habeat firmitatem.

## ADDITIO

Circa quartum decimum capitulum de rebus Fratrum decedentium statuimus quod bona Fratris decedentis ad locum illius terrae de qua terra vel de cuius loci quaesta oriundus fuit ipse Frater, undecumque licite sibi advenerint, devolvantur, deductis convenientibus expensis infirmitatis, et sepulturae et unius pictanciae facienda in Conventu in quo sepultus fuerit ipse Frater. Quod etiam de Generali, et Provincialibus Prioribus volumus observari, hoc excepto, quod expensae infirmitatis Prioris Generalis, et Sociorum suorum in Romana Curia, de bonis ad communitatem Ordinis pertinentibus persolvantur.

Vestimenta autem Fratris decedentis ab hac vita, taxata secundum Constitutiones, et calceamenta sint illius loci, in quo Frater moritur, vel in cuius quaesta decedit.

Volumus autem quod in Provinciis illis, in quibus plerumque pauperes Novitios recipere consuevit, vestimenta Fratrum decedentium non vendantur, sed pro pauperibus recipiendis Novitiis reserventur, quae per Priorem localem, cum consensu Conventus, distribuantur.

Libri vero Fratrum decedentium nullatenus alienentur, nec distrahantur, sed omnes ad armarium convertantur. Si secus factum fuerit, alienans vel distrahens poenas alienantibus libros librariae inflictas, inferius capitulo tricesimo septimo, incidat ipso facto. Possunt tamen, de his libris, minus utiles in alios meliores et utiliores commutari.

## CAPITULUM XV

### DE MODO RECEPTIONIS NOVITIORUM

98. Si quis in Ordine nostro recipi petierit, non statim annuatur ei, quicumque ille sit, sed probetur spiritus eius si ex Deo est. Quod si perseveraverit in proposito, et fuerit persona idonea, post oblatam ei spem a Priore et a maiore parte Capituli suae receptionis, hora, quam Prioris et aliorum Fratrum seniorum discretio providebit, Fratribus congregatis in unum, ab uno Fratre vel duobus, qui eum de modo misericordiae petendae diligenter instruxerint,

---

<sup>15</sup> VERODUN.: Libri autem Lectorum, quos a Provincia habuerint, quae miserunt eos Parisius, ad ipsas Provincias revertantur.



ducatur in Capitulum, et in medio stans prosternat se, et interrogatus a Priore: *quid petis?*, respondeat: *misericordiam Dei, et vestram.*

99. Deinde Prior iubeat eum surgere, ab eo diligenter inquirens an sit coniugatus vel servus, aut ratiociniis obligatus, sive si habeat infirmitatem occultam. Qui si responderit alicui illorum casum se teneri, repellatur, tanquam subiectus iuri alieno vel tanquam ferendum pondus Religionis ineptus. Sed si ab his omnibus liber erit, Prior exponat ei asperitatem Ordinis, scilicet, abdicationem propriae voluntatis, vilitatem ciborum, asperitatem vestium, vigilias nocturnas, labores diurnos, macerationem carnis, opprobrium paupertatis, ruborem mendicitatis, lassitudinem iejunii, toedium claustrum, et his similia. Et de omnibus his voluntatem eius exquirat. Si responderit se velle, eum Dei adiutorio, cuncta servare, in quantum humana fragilitas servare poterit, dicat post cetera ipse Prior: *Dominus, qui incepit in te bonum opus, Ipse perficiat.* Et Conventus respondeat: *Amen.*

100. Tunc, tonsis crinibus, vestibus saecularibus exutus et Religionis habitu indutus, cantor incipiat Hymnum *Veni, Creator Spiritus*, quem Fratres alii prosequantur, et ordinate intrent Ecclesiam, atque receptus, a cantore et ductus ante maius altare prosternat se, donec Hymnus finiatur in choro, et oratio *Deus, qui corda, etc., da famulo tuo in eodem, etc.* Qui postea surgens, et instructus ab eodem cantore, recipiat pacem primo a Priore, postea ab aliis Fratribus utriusque lateris subsequenter.

101. Et sic tradatur Magistro Novitiorum de Regula, et Constitutionibus, de Officio et cantu, de moribus et signis, et aliis observantiis Ordinis instruendus. Et legat sibi, ipse Magister suus aut ipsem, Regulam et Constitutiones seorsum ab aliis pluries in anno, ut discat Novitus, si se Ordini voto professionis astrinxerit, sub qua lege militare debebit. Atque in ipso primordio receptioni sua generalem confessionem eius audiat Prior solus ut cognoscat vultum pecoris gregi suarum a ovium sociandae.

102. Bona si quae detulerit secum, de illis, secundum Prioris conventionalis providentiam et Capituli sui, pro lectisterniis et vestibus eius necessaria deducuntur, et pro libris, si clericus fuerit, consideratione habita, in emendis libris, pluribus aut paucioribus, secundum valorem ipsorum bonorum et dispositionem Novitii ad studendum. Quidquid vero residuum fuerit, computetur atque scribatur, ita quod habeatur inde plena memoria, ut si forte, quod Deus avertat, ante professionem respexerit retro, sua sibi reddantur, nisi ante Religionis ingressum ea sponte donaverit Domui, vel Deo obtulerit, eo modo, quod restitutionem eorum non fuerit in foro poenitentiali cogenda. Si tamen ex hoc videretur grande in populo scandalum generari, Fratres sic se habeant, ut pro temporalium substantia rerum fidelium ad eos remissior devotio non reddatur.

## CAPITULUM XVI

### DE TEMPORE ET QUALITATE EORUM QUI AD ORDINEM RECIPIUNTUR

103. Nullus ad ordinem nostrum recipiatur iunior quatuordecim annis nec aliqua promissione ligetur. Prior vero qui contra fecerit, si fuerit Provincialis, infra duos menses post eius receptionem, viginti dies in pane et aqua iejunet; si autem conventionalis fuerit, absolvatur,



et infra mensem decem dies pane et aqua in terra sedens ieiunet. Conventus quidem qui sine licentia Prioris hoc fecerit, quilibet infra duos menses viginti dies in pane et aqua ieiunet. Si vero singularis Frater solus, contra praemissam formam, aliquem ad Ordinem recipere de facto praesumpserit, tribus mensibus poenae gravioris culpae subiaceat, et voce careat, donec per Generalem cum eo fuerit dispensatum<sup>16</sup>.

104. Pro Clerico autem nullus Novitus recipiatur ad Ordinem, nisi legere vel cantare sciverit competenter, vel sit docibilis aut aptus ad addiscendum. Pro Clerico namque vel Laico ad Ordinem nullus recipiatur, nisi sit persona nota, et qui non sit de aliquo notabili vitio infamatus. Facientes vero contra hanc formam, eorum Superior, infra tres menses postquam sibi de hoc constabit, viginti quinque dies in pane et aqua ieiunare compellat, et talis Novitus, notatus aliquo vitio notabili, licentietur. Poterit tamen aliquis de nobili genere pro Clerico, etsi minus noverit, recipi de gratia speciali.

105. Novitus vero, si Clericus fuerit, infra tempus suae probationis, in psalmodia, et cantu et alio divino Officio studeat discere diligenter; atque in hoc tempore nulli Ordines eidem conferantur; sed nec mittatur extra locum, praesertim si tenellus fuerit et imberbis, absque necessitate rationabili. Nam si gradaevus fuerit et robustus, mitti poterit, cum discretioni Prioris videbitur expedire. Cuius etiam vestes in eo solum differant a vestibus Professorum, quod ante horam suae professionis cuculla non benedicetur ipsius.

106. Novitus a die ingressione suae ad nos usque ad annum et diem in probatione manebit, ut asperitatem vitae seu Ordinis, et Fratres mores experiantur illius.

107. Cum lepra simoniacae pravitatis infectus sit quasi membrum putridum a corpore sanctae Matris Ecclesiae alienum, omnibus et singulis Prioribus ac aliis Fratribus nostrae Religionis stricte praecipimus et mandamus, ut nullus ex eis Fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, vel recipi permittat, aliquid accepto vel retento, pactione aliqua interveniente, tacita vel expressa. Quod si quis ita immemor suae salutis fuerit, quod contra hoc praesens nostrum praeceptum aliquem recipere seu recipi facere aut permittere attentaverit, si Prior alicuius Provinciae seu loci est, eo ipso sit ab officio prioratus absolutus, et tanquam irregularis effectus, a qua irregularitate dispensationem non nisi a Sede Apostolica poterit obtainere; et in nostro Ordine ad aliquod officium curam habens animarum, nullatenus assumatur, etiamsi a Sede Apostolica dispensationem meruerit impetrare, nisi secum per duo Capitula generalia fuerit dispensatum; et per quinquennium voce careat et poenae gravioris culpae cogatur tribus mensibus subiacere. Eadem poenae subiaceat quicumque Frater inveniatur simoniam in eodem casu vel in alio commisisse. Et ille qui sic receptus fuerit, etiamsi professus, statim de Ordine licentietur, pecunia vel rebus quibuscumque sit acceptis eidem integraliter restitutis.

108. De regula vero beati Benedicti, Praedicatorum et Minorum Ordinum, nullus licentiatus recipiatur, quantumcumque extiterit importunus. Alterius vero professionis, quantumcumque sit nostro laxior Ordo eius, nullus recipiatur, nisi licentiatus. Si quis autem licentiam habens, receptus fuerit, sicut liber a saeculo fugiens, in probatione manebit, et a die

---

<sup>16</sup> VERODUN.: si vero conventualis fuerit, ipso facto sit a prioratus officio absolutus; et si Fratres alicuius Conventus, Priore suo ignorante, aliquem talem receperint, infra quatuor menses a receptione eadem, viginti dies in pane et aqua ieiunent. Si vero aliquis Frater aliquem talem Novitium, contra formam supradictam praesumpserit recipere vel vestire, statim incarceretur, et receptio talis pro nulla habeatur.



receptionis suae usque ad quinquennium ad prioratum vel subprioratum, etiam si doctus valde et grandaevus existat, nullatenus assumetur.

109. Praeterea si Novitius, quisquis ille sit, dum in probatione fuerit, modum, qui sibi ex ordine servandus traditur, non servaverit: un inhoneste se habeat, aut praesumat cum aliquo malitiose contendere, seu, in superbiam erectus, vel aliquid aliud attentet, per quod possit in domo alicuius turbationis materia suscitari, differri ipsius electio non debebit, sed statim de Ordine expellatur, et Novitius qui pro sua culpa expellatur, ulterius non recipiatur.

110. Si aliquis vero Novitius, quacumque die, infra assignatum sibi tempus probationis, respexerit retro, si postmodum transacta die eadem, redire voluerit, non recipiatur nisi ea conditione et modo, ut iterum per annum et diem debeat in probatione manere, nisi eius vita et conversatio talis fuerit quod videatur discretioni Patris nostri Generalis seu Provincialis illius Provinciae cum eodem misericorditer dispensare.

## ADDITIO

Circa sextum decimum capitulum de tempore et qualitate eorum, qui ad Ordinem recipiuntur, dispensamus ut pueri annorum undecim recipi possit, et non minoris aetatis.

## CAPITULUM XVII

### QUALIS DEBEAT ESSE MAGISTER NOVITIORUM ET DE QUIBUS IPSI NOVITII INSTRUANTUR

111. Prior praeponat Novitiis unum ex Fratribus Magistrum, doctum et honestum virum, approbatum et nostri Ordinis praecipuum zelatorem, qui eos ante omnia doceat pure, ac discrete et frequenter confiteri; caste et sine proprio vivere. Instruat eos de Regula, de Constitutionibus, de Officio de cantu, de moribus, de signis, et aliis observantiis Ordinis; et necessaria omnia eis apud Priorem procuret; surgere ad vigilias, si fuerint somnolenti, et in Ecclesia excitet; et ubicumque se negligenter habuerint, eos quantum poterit, verbis et signis, obsecrando et increpando, studeat emendare quia eorum cura ei specialiter est commissa.

112. De apertis culpis et negligentiis, cum coram eo veniam petierint, aut puniat, aut in Capitulo eos accuset.

113. Doceat Novitium Magister ipse quomodo inclinationes, genuflexiones atque prostrationes, horis et locis debitiss, faciat; quomodo inclinet Conventui et unicuique Fratri, cum eum obvium habuerint; quomodo inclinet danti sibi aliquid vel ab eo recipienti, male vel bene dicenti; quomodo designatum sibi locum teneat; quomodo et quid oret, quam silenter, ut rugitum aliis non faciat; quanta custodia cor suum et linguam suam servet; quanta diligentia libros et vestes, vasa et alias res Domus custodiat; quale exemplum aliis, praesertim



humilitatis et oboedientiae, praebeat; ut cum nemine contendat, sed omnibus, et praecipue Magistro suo, oboediat, salvo ubique mandato Prioris, cui neminem praeferre debet; ut de occultis cum nemine, nisi cum Magistro suo, si Sacerdos fuerit, aut cum Priore proprio debeat confiteri; ut solus cum solo, infra septam loci, sine praesentia Prioris vel Magistri sui, vel cum ipsorum altero, vel nisi de alterius eorum licentia, vel in Missa cum solo fuerit, vel in mensa, non maneat, nec loquatur; ut non coniungat se Conventui, nisi fuerit signo vel verbo vocatus; ut in Regula vel Constitutionibus, plus aut minus quam expeditat, dicere non praesumat; ut quando hospites aut infirmi comedunt, illuc, nisi missus, ire non audeat; ut, cum bibit sedeat, et cum duabus manibus teneat vas in quo biberit; ut neminem, quisquis ille sit, penitus iudicet, sed, si qua ab aliquo viderit, licet mala videantur, bona suspicetur, vel bona intentione facta; ut non ambulet extento collo, sed fixis oculis in terram; ut, cum sibi aliquid datur, utpote vestis, sotulares, cultellus et similia, profunde inclinans, dicat: *Benedictus Deus in donis suis*; ut, cum Fratres processionaliter vadunt, socium collateralem attendat; ut non loquatur de absente nisi bona, neminem in facie laudet, nulli iniuriam faciat, sed illatam sibi patienter ferat; ut sine licentia litteras vel munera aliqua nulli mittat, nec ab aliquo recipiat; paupertatem amet, delicias fugiat, quia castitas periclitatur in illis; ut voluntatem propriam pro voluntate Prioris sui deserat; ut sanctam Scripturam avide legat, devoto audiat et ardenter addiscat; ut gradus parentelae suae non recitet, de generis nobilitate non se iactet, de honore saeculi non glorietur, nec de parentum divitiis extollatur.

114. Statuimus insuper, ut singulis annis, in Capitulis provincialibus, duo vel plura loca elegantur, in quibus Novitii, ut a suis Magistris aptius possint instrui, collocentur.

## CAPITULUM XVIII

### DE MODO PROFESSIONIS FACIENDAE TAM A FRATRIBUS QUAM A CONVERSIS

115. Completo termino probationis Novitii, Prior de vita et moribus eius diligentem examine ab illis inquirat cum quibus fuerit conversatus. Cuius conversatio, si adeo sancta et honesta extiterit, ut de sua perseverantia spes probabilis habeatur, Prior in Capitulum vocari faciat illum, quem sic coram omnibus alloquatur: care Frater, ecce tempus tuae probationis completum est, in quo expertus es omnem asperitatem Ordinis nostri, et in omnibus, praeterquam in consiliis, fuisti nobiscum, sicut unus ex nobis. Nunc ergo ex duobus opportet te unum eligere: sive a nobis discedere et abire in viam tuam, vel renuntiare huic saeculo et dedicare atque offerre te ipsum totum Deo et Ordini nostro. Sciens, quod postquam sic te obtuleris, de sub iugo oboedientiae eiusdem Ordinis collum tuum, quacumque ex causa, non licebit excutere, quod sub tam morosa deliberatione, cum recusare libere posses, sponte suscipere voluisti.

116. Quod si ipse responderit velle sic Deo et Ordini se offerre, tunc, eo stante, Prior, in Capitulo vel in Missa, prout ei videbitur expedire, benedicat cucullam eius, dicens: *Domine exaudi orationem meam. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Domine Iesu Christe, qui tegumen mortalis nostrae induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus indumenti, quod sancti patres, ad innocentiae et humilitatis indicium, abrenuntiantes mundo, ferre sanxerunt, ita benedicere tua benedictione*



*digneris, ut hic famulus tuus N., qui eo usus fuerit, Te induere mereatur. Qui vivis et regnas, etc.* Et responso *Amen*, Prior induat Novitium cucullam, dicendo: *Induat te Deus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Amen.*

117. Novitius itaque cuculla benedicta indutus genua flectat ad pedes Prioris, et ad iussum eius tenens Regulam beati Augustini in manibus suis, ponat illam in manibus Prioris, et profiteatur hoc modo: Ego Frater N. facio professionem, et promitto oboedientiam Deo, et beatae Mariae, et tibi Fratri N., Generali Priori Fratrum Eremitarum Sancti Augustini et successoribus tuis, vivere sine proprio, et in castitate, secundum Regulam beati Augustini, usque ad mortem.

118. Si vero Generalis Prior praesens non fuerit, profitebitur Priori Provinciali vel Priori loci, hoc modo: Ego Fr. N. facio professionem, et promitto oboedientiam Deo, et beatae Mariae, et tibi Fratri N., Priori Provinciali vel Priori vel Priori loci talis, nomine et vice Generalis Prioris Fratrum Eremitarum ordinis Sancti Augustini et successorum eius, vivere sine proprio et in castitate secundum Regulam beati Augustini usque ad mortem.

119. Postea Prior surgens erigat Professum, suscipiens eum ad osculum pacis et deinde idem faciant sessores utriusque lateris.

120. Suscepto igitur ab omnibus osculo pacis, Novitius factus Professus, ad iussum Prioris, in loco quem assignaverit sibi sedebit. Quem exhortabitur ipse Prior, ut intente reddeat Deo, quod vovit: caste vivendo, mente et corpore; nihil possidendo proprii, actu vel voluntate; oboediendo suo Superiori sine murmure vel contradictione; et mores, quos in probatione didicit Novitius, non negligat observare Professus, quia quod Deo in probatione impendebat ex libito, nunc reddere tenet ex voto. Et his dictis omnes in pace discedant.

121. Si vero ipse Novitius taliter profiteri noluerit, aut de recipiendo eum maior et sanior pars Capituli ad professionem non concordaverit, eum quibus fuerit conversatus, dicat ei Prior: Frater mi, mores tui non concordant eum moribus nostris, tolle quod tuum est, et egridere liber a nobis.

122. Fratres infra terminum quinque annorum a receptionis suae ingressu, ad officium prioratus, subprioratus, vicariatus; ad officum vero Discreti, Sacristae et Procuratoris intra triennium assumi non possint, nec vocem habeant in electione praedictorum<sup>17</sup>.

123. Conversi vero maneant in probatione per annum et diem, sicut alii Fratres, et postea, oboedientiam, et vivere sine proprio, et in castitate proprio Priori promittant. Vests eorum superiores et scapularia sint tantum nigri coloris. Numquam ulli Converso nostri Ordinis, quantumcumque fuerit utilis, cuculla concedatur; quod si ullo modo alicui concessa fuerit ipsa Conversus privetur, et conferens, infra duos menses, decem dies in pane et aqua ieunet.

## ADDITIO

Circa decimum octavum capitulum de modo professionis facienda addicimus quod iuvenes, completo anno novitiatus et facta professione, statim tradantur a Priore alicui de

---

<sup>17</sup> VERODUN.: ... terminum trium annorum... et Procuratoris assumi non possunt, nec vocem...



honestioribus Fratribus Conventus in curam, cui Fratri teneantur ipsi iuvenes oboedire sicut Novitii Magistro suo, usque ad vicesimum suaet aetatis annum.

Volumus etiam et mandamus quod, sicut praedicti Professi iuvenes separantur a Novitiorum Magistro, ita separentur ab ipsorum Novitiorum consortio.

Ordinamus etiam quod Prior noster Generalis possit dare cappam conversis, si eos idoneos invenerit, pro suo arbitrio voluntatis.

## CAPITULUM XIX

### QUOMODO RECIPIANTUR HOSPITES ET AD QUID TENEANTUR HOSPITES

124. Hospites si quando ad nos venerint, maxime religiosi ostiarius cum multa vultus hilaritate suscipiat et, introductis suadeat, ut Ecclesiam intrent. Postquam in Capitulo sedeant, donec responsum detur eis. Interim ostiarium cum matura festinatione ad Priorem accedens, denunciet illos adesse. Qui, auditio eo, quantum poterit festinet honeste satisfacere eis, ne si ab absque responso longa ipsos mora tenuerit, ibi materiam turbationis habeant, vel turbentur. Quod si ipsi hospites religiosae personae et venerabiles fuerint, ad habitacula introducat vel introduci faciat eos. Cum quibus, si gratia refectionis sumenda venerint, esse poterit ipse Prior, assumptis secum de Fratribus duobus, vel pluribus, aut uno, sicut discretioni eius videbitur expedire. Et si a remotis venerint, pedes eis faciat lavari. Non autem cuiuscumque Religionis habitum deferentes ad interiora deduci volumus, nec parem familiaritatem quibuslibet exhiberi; cunctis tamen, etsi non aequaliter, secundum quod honestas Ordinis et facultas Domus permiserit, caritative et hilariter serviatur.

125. Paucis de clero saeculari et laicis dabitur ad secundum claustrum, et hortum vel viridarium ingressus, ita ut claustrum ipsum et hortus sint ab extraneorum accessibus aliena. Primum etiam claustrum nisi in casibus expressis, saeculares intrare permitti non debent, nisi causam habeant pro qua id concedatur eis; sed debet illos ostiarius in porticu, qui iuxta portam exteriorem est, retinere et cum eis de Deo loqui, ne intrantes Fratres, qui forsitan in claustro ipso alicui occupationi vacaverint, inquietent. Propter quod clausum manebit ostium quo ad claustrum ipsum intratur, ne, si pateat, non possit nisi verbis interpositis, ingressus, sine causa utili volentibus, interdici.

126. Hospites vero nostri Ordinis Fratres, sive de longe sive de prope veniant, quantum Prioris videbitur discretioni, in domo hospitum erunt, ita ut apud eum non sit acceptio personarum: non enim dicitur personarum acceptor, qui merita considerat, non personam. Si enim ipsi hospites fuerint Praelati vel alias viri auctoritatis et famosi, interdum cum eis comedere poterit ipse Prior, assumpto de Conventu nunc uno nunc alio Fratre secum. Non autem indifferenter debet esse in mensa cum quibuslibet hospitibus, aut semper unum et eundem, aut eosdem de Conventu Fratres secum assumere, ne inde Conventus, si saepius extra refectorium fuerit, aut solus, vel si eosdem semper assumpserit detrimentum patiatur, et huiusmodi singularitate sua ceteros scandalizet. Recumbentibus vero hospitibus, ibi soli illi compareant, quibus iniunctum est ut eisdem serviant. Et ipsi hospites, maxime si nocturno aut



tempore silentii venerint, se nulli coniungant vel loquantur, nisi illis ad quos spectat hospites suscipere, vel de licentia speciali Prioris, cum et ipsi hospites eodem tempore, quantum commode poterunt, silentio intendere debeant<sup>18</sup>.

127. Post exhibitam enim a Priore hospitibus humanitatem decentem, et consideratis eorum meritis et labore, si ulterius in Domo moram contraxerint, ubique et in omnibus, sicut Fratres conventuales, ad omnia teneantur, excepto quod in Capitulo, nisi in sua vel alterius accusatione vel excusatione, vox nulla erit eorum.<sup>19</sup>

128. Si tamen ex ipsis hospitibus aliquis aliquid habuerit a Priore suo in mandatis, seu quocumque aliud negotium utile et honestum, cui opporteat ipsum attendere. Prior loci ipsum non patiatur negotiis aliquibus occupari, ne illud, propter quod venit, graviter impediri valeat vel differri; sed, sicut discretioni suae videbitur, ei de socio providebit cum quo possit illud tale quid expedire. Nolumus enim hospites simul ire quacumque ex causa, nisi sint personae venerabiles et graves, vel nisi iudicio Prioris, id, necessitate gravi et ardua exigente, non debeat negari<sup>20</sup>.

129. Cum Fratres debent aliquo ire, sequenti die non reversuri, accedant ante maius altare, et positis genibus dicant Psalmum *Beati immaculati usque retridue*, cum *Gloria Patri, Kyrie, eleison Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. Et ne nos, sed libera. Mitte nobis auxilium de sancto. Et de Sion tuere nos. Domine, exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum Et cum. Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae huius varietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. Amen*<sup>21</sup>.

130. Cum vero redeunt, positis genibus, ut supra, dicant Psalmum *Levavi oculos meos, cum Gloria Patri. Kyrie, eleison. Pater noster. Et ne. Salvos fac servos tuos. Deus meus. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, miserere his famulis tuis, et quidquid eis in via surripuit visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

131. Si autem Frater aliquis extra Conventum suum aliquid commiserit propter quod corrigi debeat, si illud sibi sufficientur probetur, a Priore, in cuius Conventu vel quaesta est de huiusmodi delicto quod commisit, secundum statuta Ordinis corrigitur. Quod si Prior ipse Fratrem, qui in suo Conventu seu quaesta sui prioratus deliquit, corrigeret sine scandalo non possit, Priori Provinciali aut Visitatoribus excessum huius Fratris, quam citius, lucido et distinete, cum omnibus conditionibus aggravantibus delictum, scribat et notificet.

---

<sup>18</sup> VERODUN.: ... videbitur discretioni, ita ut apud eum non sit acceptio personarum, non enim dicitur personarum acceptor, qui merita considerat non personam, in domo enim hospitum erunt. Cum quibus maxime si fuerint Praelati, sive viri grandaevi, aut Lectores sive Praedicatorum famosi interdum comedere poterit ipse Prior..

<sup>19</sup> VERODUN. Post exhibitam ergo, Prioris indicio, humanitatem competentem... vox nulla erit eorum. Sciant ad omnem observantium Ordinis se teneri.

<sup>20</sup> VERODUN. ...personae venerabiles et graves, vel in iudicio Prioris idem necessitas valde grandis exigat concedatur.

<sup>21</sup> VERODUN.: ... Sed libera. Salvos fac. Deus meas sperantes. Mitte nobis...



## ADDITIO

Circa decimum nonum capitulo qualiter hospites recipiantur addicimus quod quicumque Prior, vel vicem eius gerens non receperit Fratres forenses caritativo, poenae gravioris culpae per quindecim dies debeat subiacere, et Provincialis super eo inquiret, qui contra facientem ad praedictam poenam compellet. Si vero Provincialis in hoc negligens fuerit, eidem poenae subiaceat, ad quam portandam Visitatores Provinciae eum cogere teneantur.

Statuimus etiam et mandamus, quod ordinetur domus communis in quolibet loco, ubi est possilitas, pro forensibus advenientibus, ita quod propter forenses non sit inquietudo vel turbatio Fratribus conventionalibus, in communi dormitorio residentibus; quod si defectus huius domus, ex negligentia Prioris fuerit, vel eius vicem gerentis, careat provisione annuali, quam si receperit, per Provincialem Conventui reddere compellatur<sup>22</sup>.

## CAPITULUM XX

### UT FRATRES SINE LITERIS TESTIMONIALIBUS ALIQUO NON MITTANTUR

132 Statuimus ut nullus Frater nostri Ordinis extra septam loci vadat solus, id est, absque Fratre socio, Professo vel Novitio eiusdem Ordinis, vel Converso, etiam iussus, sive sit subditus sive Prior. Nec Prior ullus de subditis suis aliquem solum permittat ire aut cogat, nisi, quod absit, tam arduus casus emerserit, quod id absque detimento Ordinis, vel alicuius Domus vel personae observari non possit; in quo casu talis mittatur, de cuius honestate et gravitate non dubitetur. Alias Piores locales contra facientes Provinciales ab officio prioratus eos suspendant vel absolvant. Et si de suspensione vel absolutione, aliqua causa rationabili impidente, non videretur, pane et aqua, et disciplinis necnon et alia poena acriter eos corrigant et emendent.

133. Insuper inhibemus ne aliquis Prior conventionalis det licentiam aliquibus Fratribus conventionalibus suis eundi de loco ad locum per Provinciam, nisi pro necessitate aut communi utilitate sui Conventus vel alterius nostri Ordinis, aut pro aliquo arduo casu, vel pro manifesta et evidenti necessitate vel utilitate alicuius singularis Fratris; et hoc cum litteris testimonialibus, in quibus causa huiusmodi exprimatur. Praecipimus etiam quod nec ipsi Piores, sine evidenti causa, de loco ad locum vadant. Contra facientes simili modo, ut superius dictum est puniatur<sup>23</sup>.

134. Ambasciatam alicuius personae ecclesiasticae vel saecularis seu Communitatis Frater nullus assumat extra Provinciam propriam vel intra sine Generalis vel Provincialis licentia speciali.

135. Si quis quoque Prior conventionalis extra Provinciam propriam iverit, aut de Fratribus suis miserit absque Generalis vel Provincialis sui licentia, poenae praedictate debeat

---

<sup>22</sup> VERODUN.: *Omite*

<sup>23</sup> VERODUN.: Verum enim inhibemus praecise, ne aliquis Prior



subiacere, nisi Prior alicuius loci in Provinciarum confinibus constituti, qui possit ire vel mittere suos Fratres ad propinquam civitatem pro casu utili et honesto.

136. Si autem aliqui absque testimonio litterarum sui Provincialis extra Provinciam propriam exiverint, venientes quidem ad locum, ostiarum intromittat eos; sed postquam eos testimoniales litteras non habere sciverit, id quam citius caute Priori Domus insinuet. Qui statim, congregatis aliquibus de senioribus sui Conventus vel toto Conventu in Capitulum vel in alium locum, huiusmodi Fratres inordinate eentes ad se venire faciat, et comperto quod litteras testimoniales non habeant, blande suadeat eis, et imperet ut deponant habitum et alia quaecumque habuerit, praeter eas vestes sine quibus honeste esse non possunt. Quod si facere noluerint, ad id Prior et Conventus eos compellant<sup>24</sup>.

137. si autem ad Conventum suum redire voluerint ire permittantur. Sed dum in loco steterint, dormitorium, vel Ecclesiam, seu sacristam, aut alicuius Fratris de Conventu cellam non intrent, nec cum aliquo vel aliquibus, nisi de licentia Prioris, loquantur. Et eis non restituantur ablata, donec de conditione eorum, per litteras Provincialis vel conventualis Prioris eorum, certificatus fuerit ipse Prior. Et interim ad manducandum sedeant in terra, in medio refectorii, comesturi ea quae eis Prioris discretio fecerit ministrari<sup>25</sup>.

138. Et si inveniatur quod sine debita licentia vadunt, tamquam apostatae puniantur. Illud idem volumus observari de Fratribus euntibus per Provinciam propriam, sine sui Prioris Provincialis testimonio litterarum vel localium Priorum, secundum formam superius ordinatam.

139. Inhibemus insuper ut nullus Frater, etiam associatus, extra septam loci sine licentia sui Prioris exeat, nec solus ipse Prior. Quod si quis, Prior vel subditus, cum deliberatione fecisse fuerit deprehensus, poenam apostasiae noverit se incurrisse, nisi inevitabile detrimentum et arduus casus, ut superius dictum est, hoc excuset<sup>26</sup>.

140. Nulli, sine licentia sui Prioris Provincialis, liceat equitare. Provincialis autem licentiam talem concedat in scriptis, et non nisi pro magna et neessaria causa. Frater enim qui aliter equitaverit, infra mensem, octo dies in pane et aqua, super nudam terram, in medio refectorii sedens ieunet, et voce careat donec per eum dicta poenitentia fuerit adimpta. Et poenae ieunii octo dierum, infra mensem, excepto quod in mensa sedeat, subiaceat Prior Provincialis, qui licentiam aliter concesserit equitandi<sup>27</sup>.

141. Si quis quoque de Fratribus nostris, cuiuscumque conditionis existat, sive conventualis sit sive hospes, Provinciali et conventualis Priore, Elemosynariis et Procuratore Domus exceptis, aliquo visitandi gratia, vel quacumque alia causa exire debet, domos ac personas, ad quas intendit ire, Priori loci specificet, socium nullum petens ex nomine, nisi

<sup>24</sup> VERODUN.: *Final:* ... honeste esse non possint. Quod si facere attemptaverint, ad id Conventus eos compellat invitatio.

<sup>25</sup> VERODUN.: Ipsi autem ad Priorem suum ire permittantur vel retinebuntur. Ita tamen quod dormitorium vel Ecclesiam... Et eis non restituantur ablata. donec de conditione eorum certificatus fuerit ipse Prior. Et interim...

<sup>26</sup> VERODUN.: *Añade:* Nam Fratres nihilominus habitantes saepe soli exire extra portam earum urgente necessitate coguntur ad opera, qui ex hoc suspecti haberi non debent, nisi fortassis mulierum habitationes essent eis contiguae, vel in tali hora, seu tam frequenter et sine patenti et rationabili causa exierint, quod probabiliter suspectus haberi debeat exitus exeuntis.

<sup>27</sup> VERODUN.: Nulli autem, nisi pro magna necessitate vel manifesta causa, liceat equitare. Quod si quis contra formam hanc equitaverit, vel concesserit alicui licentiam equitandi, infra tres menses, octo dies in pane et aqua ieunet, et Superiore suum ieunare cogatur.



contentus eo, de quo Prioris discretio providebit. Et si forsitan vocatus, aliquam de non specificatis, causa rationabili suadente, domum intraverit, reversus ad locum, id Priori significet.

142. Prioress autem in quarumlibet personarum visitatione et allocutione talem Fratribus legem imponant, quam et ipsi, in quantum debitum officii sui patitur, servent: ut, maxime ex inmoderata visitatione vel allocutione mulierum, nulli materia scandali oriatur.

143. Praeterea in terris in quibus Ordo locum habet, nisi cum Clericis aut Religiosis, Fratres nihil praeter aquam bibant.

## ADDITIO

Circa vicesimum capitulum de euntibus extra Domum addicimus quod nullus Frater, etiam si stet cum aliquo Praelato vel Domino saeculari, solus sine Fratre Ordinis, seu cum Fratre vel Converso ficto, pedes vel eques ire praesumat. Secus faciens velut apostata censeatur. Eadem etiam poenae subiaceant, qui cum Praelatis vel Dominis commorantes, per civitates, in quibus ut plurimum morantur, sine habitu Ordinis incesserint.

Item nullus Frater nostri Ordinis habens possessionem aliquam extra locum Ordinis, sive ex testamento seu patrimonio derelictam, vel etiam emptam, in eadem stare possit ultra triduum; nec hoc fieri possit, ultra tres vices in anno. Contrarium faciens poenam apostasiae incurrat ipso facto, nisi talis casus emerserit, in quo videretur Priori Generali super hoc generaliter dispensandum.

Inhibemus etiam, ne quis Frater, veniendo de extra ad locum nostri Ordinis, in dominibus saecularium personarum audeat quoquomodo comedere, vel pernoctare, sed recto tramite, Frater ad locum veniat. Qui contra fecerit, octo diebus in terra sicut apostata puniatur. Concedentes Priori illius loci ut tales pernoctantes possit carceri mancipare, nisi talis fuerit necessitas, ut merito valeant excusari.

Toleramus autem quod Fratres in terris, ubi Ordo habet locum cum saecularibus et laicis, semper tamen honestis, vinum potare possint sobrie, sicut religiosos decet, nisi Prior alicui, qui inepti consueverit, contrarium mandet.

## CAPITULUM XXI

### QUALITER AD REFECTORIUM INTRENT ET SEDEANT IPSI FRATRES

144. Hora competenti, ante prandium vel coenam, cellarius vel minister hebdomadarius cymbalum vel campanam in reectorio, paucis ictibus, pulset, et Fratres in silentio stent, donec post refectionem exolverint gratias in Ecclesia; abluant sibi manus, et loci claustrum intrent, ibi sedentes honeste, quousque signum audierint intrandi reectorium. Prior vero, pulsato signo ablutionis, longam moram non faciat, sed, aut per se aut per alium, Fratres ad mensam introducat. Deinde, ad signum Prioris, omnibus Fratribus ingressis reectorium, adstantibus hinc inde, versis vultibus, ordinate ex tunc procedant in omnibus, sicut in rubrica



de mensa per omnia continetur. Fratres panem non discooperiant, nisi primo lectio incipiatur. Fratrum praesentium a mensa prima nullus remaneat, exceptis custodibus et ministris; et quotquot remanserint, in secunda mensa comedant, ne tertia fiat. Propter quod Prior iniungat egredientibus, ut sic ad locum festinent reverti, ut saltem secundae mensae valeant interesse. Nulla pictancia fiait in secunda mensa, quae in prima non sit facta, nisi forsitan hospites interdum adfuerint, nam tunc eorum reliquiae poterunt in secunda mensa comedentibus dari.

145. Frater sedens in refectorio non mittat Fratri pictantiam absque licentia Prioris; sed sibi data a Priore, vel permissione ipsius ab alio, dare a dextris et a sinistris, si voluerit, licebit.

146. Si quis iuxta se sedenti viderit aliquid deesse de communi, signo requirat quod deerit a ministro, si sciverit signa; sin autem, silenter requirat. Commune autem intelligimus, quidquid tunc, id est, in refectionis hora, Fratribus communiter apponitur, de quo, si quid ulli defuerit, illud intelligitur requirendum: quia si quis aliud quaesierit, ei non dabitur, quidquid sit illud, absque licentia Prioris.

147. Et si quis quippiam in refectorium, manifeste vel latenter, sine licentia deferre praesumpserit, ut vel ipse vel alius comedat illud ibi, ab esu rei huiusmodi in refectorio, statim ex tunc usque ad quadraginta dies, abstinere cogatur, nisi statim, gratiis peractis post refectionem, publice suam confiteatur offensam: pro qua, infra octo dies proximos, unam diem in pane solum et aqua debeat iejunare.

148. Prior solcite et attente respiciat discubentes, etsi quos tumultuose agere, vel inutiliter signum facere, vel in honesto se habere deprehenderit, aut statim signo coérceat aut post gratias eoram Fratribus dure arguat, ut ceteri terreatur; atque si id non sufficiat, poena eis, quae ipsos instruat, imponatur.



149. Postquam igitur Prior ipse conspexerit Fratres ab esu desistere, de mensis omnibus elevatis rebus, exceptis tobaleis, signo campanae vel alio, imperet Lectori finem facere lectioni. Qui statim, auditu signo dicat: *Tu autem. Domine*, et responso: *Deo gratias*, Priore campanam pulsante, omnes Fratres egrediantur de mensis, et ipsis stantibus, sicut in benedictione mensae fecerunt, cantor inchoët versum usque ad punctum, et Fratres prosequentes communiter totum compleant, sicut in Ordinario continetur. Cellarius itaque vel servitor sic colligat tobaleas, ut non pereant aut conculcentur fragmenta.

150. In Coena autem Domini et Parasceve, postquam Lector in mensa finem lectioni ad signum Prioris fecerit, cantor media voce incipiat Psalmum *Miserere mei, Deus*, quem ad Ecclesiam alternatim processionaliter euntes, sicut aliis diebus, sine *Gloria Patri* complebunt.

## CAPITULUM XXII

### DE CIBIS ET IEIUNIO FRATRUM

151. Fratres enim extra locum nullo modo vel causa carnes manducent, nisi tam gravi et evidenti sint infirmitate gravati, quod de consilio medicinae non possint, sine personae periculo, ab esu carnium abstinere<sup>28</sup>.

152. In loco vero Ordinis, Prior in esu carnium dispensare possit cum debilibus minutis et cotidianis laboribus occupatis. Et si aliquando suae discretioni videatur cum aliqua parte Fratrum sui Conventus in esu carnium dispensandum, ita modeste et religiose cum eis alternative dispensem, quod nulli ex eis ex dispensatione huiusmodi oriatur materia murmurandi.

153. Refectorium namque saltem a medietate Fratrum, nulla hora reficiendi, modo aliquo deseratur. Talis tamen dispensatio non sit crebra. Aliter autem, extra communem mensam vel alia quam cibaria Conventus manducare, nulli licentiam tribuat nec aliquos aliter fatigatos permittat, cum sine Dei displicantia et Conventus vituperio et desolatione licentia aliter manducandi dari non possit.

154. Qui enim cum saecularibus vel extra locum carnes praesumpserit manducare, pro qualibet vice, infra mensem, de hoc accusatus vel non accusatus, per quindecim dies poenae gravioris culpea subiaceat, et voce careat donec ipsa poenitentia per eum plene et sine diminutione fuerit adimpleta.

155. Cum Cardinalibus tamen et Legatis Apostolicae Sedis liceat Fratribus, ad eorum mandatum, de cibis appositis manducare<sup>29</sup>.

<sup>28</sup> 151-154.- VERODUN.: Piores in usu carnium, nisi cum infirmis, debilibus, et cotidianis laboribus occupatis, longe fatigatis itinere et cum minutis non dispensent. Et tunc ea discretione servata, quod moderate id permittant, quamdiu necessitas ipsa durabit. Qui autem praeterquam, in istis casibus carnes comedent vel ulti dederint licentiam comedendi, tres dies pro qualibet vice in pane et aqua ieiunent.

Nullus quoque intus vel foris cum extraneis comedere, sine magna et evidenti infirmitate, praesumat. Et si quis, quocumque modo facere contra praesumpserit, pro qualibet vice, infra mensem, poene gravioris culpea per dies septem debeat subiacere.



156. A festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, nullo labore vel occasione, excepto infirmitatis articulo, Fratres non nisi semel et in cibariis tantum quadragesimalibus reficiantur<sup>30</sup>.

157. A festo autem Nativitatis Domini usque ad Quinquagesimus, possit Prior, si quando suae discretioni videbitur, cum suis Fratribus in ieunio dispensare

158. Frater vero, qui ieunium a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini praesumpserit violare, quia, postpositis Dei reverentia et timore, tam honestum et religiosum mandatum Ordinis infringere non veretur, pro qualibet die, qua ieunium fregit, tribus diebus continuis, infra duas hebdomadas a fractione ipsius ieunii, in pane tantum et aqua ieunet, in medio refectorii super nudam terram sedens. Piores quidem, Visitatores et Provinciales faciant dictam poenitentiam ab omnibus delinquentibus inviolabiliter observari. Quod si non fecerint, eidem poenae ipsi subiacere nihilominus compellantur, excepto quod Provincialis et Prior loci, ieunando, sedeant ad mensam nudam.

159. Pulmenta vero nostra, a Resurrectione Domini usque ad festum Omnium Sanctorum et Nativitate Domini usque ad Dominicam Quinquagesimae, intus et extra, sagimine condiri licebit, exceptis solemnibus ieuniis, et sextis feriis, et die praecedente Ascensionem Domini et Nativitatem beatae Mariae Virginis, et sabbatis omnibus.

160. Ovis vero, et caseo, et butiro, et lacte, et aliis huiusmodi a Resurrectione Domini usque ad festum Omnium Sanctorum, et a Nativitate Domini usque ad Quinquagesimam, tam in loco quam extra locum, poterimus uti etiam in sabbatis, exceptis diebus omnibus superius nominatis<sup>31</sup>.

161. A Resurrectione vero usque ad festum Omnium Sanctorum, exceptis solemnibus ieuniis, et sextis feriis, et die praecedente Ascensionem Domini et Nativitatem beatae Mariae Virginis, Fratres ad ieunium non cogantur. Et tunc Conventus uno ferculo in prandio, et in coena alio, contentus erit, nisi interdum Prior aliquid aliud addentum providerit, ad quod illum, nisi sicut sibi videbitur, volumus non teneri.<sup>32</sup>

162. In Parasceve in pane et aqua tantum reficimur super tabulam nudam; et in hoc nullatenus, nisi cum infirmis, dispensemur<sup>33</sup>.

## ADDITIO

Circa vicesimum secundum capitulum de cibis et ieunio Fratrum concedimus quod in Constitutione de non relinquendo refectorio a medietate Fratrum, Prior, secundum

<sup>29</sup> VERODUN.: Quod si quandoque aliquis Legatorum vel Cardinalium Apostolicae Sedis de Fratribus nostris ad mensam suam ullos vocaverit, de sibi appositis liceat manducare.

<sup>30</sup> nn. 156-158: VERODUN.: *Omitidos*.

<sup>31</sup> VERODUN.: ... a Resurrectione usque ad Dominicam de Adventu, ita quod ipsa Dominica de dictis cibariis non manducetur, et a Nativitate Domini.... uti etiam in sabbato (*Fin del párrafo*)

<sup>32</sup> VERODUN.: A Resurrectione usque ad Exaltationem sanctae Crucis, exceptis solemnibus...

<sup>33</sup> VERODUN. *Añade*: Ieiunia vero ab Ecclesia ordinata tanta devotione per nostros Fratres ubique volumus observari, ut ex eis nullus, quacumque alia causa nisi sit patenter infirmus, ea frangere non praesumat.

Aliis vero diebus, quibus de institutione Ordinis nostri ieunamus, cum laborantibus, et debilibus, ac iter agentibus Prior in ieunio, si discretioni suae videbitur, poterit dispensare; ita tamen quod in Adventu nullatenus dispensemur, nisi sit patenter infirmus.



discretionis arbitrium, valeat dispensare. Nulli autem Fratri, absque notabili causa, quam Priori suo exponere debeat, liceat refici extra communem vitam reectorii, ultra ter in hebdomada. Qui contra fecerit, pro qualibet vice, sedens in terra, panem et aquam manducet. Praeterquam Lectores actu legentes, et qui sunt communibus negotiis Ordinis actualiter impediti, qui saltem ter in hebdomada comedant in reectorio cum Conventu.

Nullus etiam Prior reficiatur extra vitam communem ultra ter in hebdomada, absque causa rationabili. Qui secus fecerit, pro qualibet vice, sedens ad mensam communem careat vino et cocto.

Exhortantes Piores et Procuratores locorum, ut ipsi studeant, talem vitam in Conventibus facere, ut eam aliique Fratres, tam fortes quam debiles, valeant supportare. Insuper hortamur ut Fratres nostri Ordinis Constitutioni de esu carnium, pro locorum tempore, et congruentia personarum se conforment, vitent scandala, et honestatem Religionis intus et foris, conservent. Ad animarum autem pericula vitanda omnes poenas in dicta Constitutione taxatas, contra eos qui carnes cum saecularibus deinceps manducabunt, penitus annullamus, dispensantes cum omnibus, qui hucusque poenas huiusmodi inciderunt.

Item praecipimus quod vigilia beati Augustini ab omnibus Fratribus nostri Ordinis ubique debeat ieunari.

## CAPITULUM XXIII

### QUALITER FRATRES AD COLLATIONEM CONVENIANT

163. A festo omnium sanctorum usque ad Resurrectionem Domini exceptis diebus Dominicis, et quolibet alio in quo forsitan Prior, exigente necessitate, in ieunio cum Fratribus duxerit dispensandum, Sacrista primum signum ad Completorium pulset. Deinde, facto signo in reectorio a Priore, omnes Fratres ingrediantur et intrent ad mensam, eo ordine quo intrant cum refectionem sumere debent. Tunc Lector, in pulpito stans ubi legere debet, dicat: *Iube, Domine*. Et Prior: *Noctem quietam, etc.* Incepta autem lectione, sedendo prosequatur eam in tono Lectionis, quousque servitor singulis volentibus potum apposuerit. Tunc erectus, ad signum Prioris, dicat: *Benedicite*, et Prior subiungat: *Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum*. Et respondetur ab omnibus: *Amen*. Et tunc Fratres cum ambabus manibus bibant, quod semper et ubique servare debent, sedendo. Lector vero legat quousque ipsi lectioni finem fieri Prior innuerit. Ultimo subiungat: Fratres, sobrii estote, etc. In fine: *Tu autem*. Tunc surgat Prior, et ceteri Fratres post eum, dicens: *Adiutorium nostrum, etc. Qui fecit caelum et terram*, Fratribus iunioribus in Ordine praecedentibus, ad Ecclesiam cum silentio omnes processionaliter vadant. Post quos Prior ibit, ultimo intraturus. Pulsato itaque ultimo signo, et ad signum Prioris, dicto *Pater noster*, fiat confessio in communi, quam semper debet quisquis in choro maior fuerit inchoare. Deinde dicto Completorio, detur benedictio a maiore, et postea cantetur Antiphona, sicut in Ordinationibus est distinctum.

164. Diebus autem Dominicis praedicti temporis, et a Resurrectione usque ad festum Omnium Sanctorum, diebus ieuniorum exceptis, pulsato secundo signo Completorii, Fratribus in choro unanimiter congregatis petat Lector benedictionem, qua recepta et



responso a Fratribus *Amen*, dicat: *Fratres, sobrii estote, etc.*, et prosequantur Completorium, sicut dictum est.

165. Fratres post Completorium in unum minime convenient, sed orent aut legant. Facto autem signo post Completorium a Sacrista, nulli extra cellam suam remanere liceat, nec alter ad alterius cubiculum aliquando vadat, absque licentia speciali<sup>34</sup>.

## CAPITULUM XXIV

### DE NUMERO ET QUALITATE VESTIUM FRATRUM

166. Fratres, exceptis sarabolis, iuxta carnem vestimentis lineis non utantur sed laneis tantum, quae tanto magis honestati nostrae congruunt quanto magis fuerint viliores<sup>35</sup>.

167. Unicuique autem Fratri duo scapularia, tres tunicas et vestem albam breviorem, quam semper sub alia tunica longa portabit quando erit sine cuculla, de albo colore habere licebit. Cucullas vero nigras tantum, tinctas vel non tinctas, dummodo non sint garzatae, nec sint de staminea, nec de sargia, nec de aliquo pretioso et nobili panno deferant. Et recipientes a Conventu novas, reddant veteras.

168. Pretiosum vero pannum et nobilem reputamus, qui nimius est carus secundum consuetudinem patriae, et qui veram nigredinem non habet, et honestati nostrae paupertatis et quotidianae exigentiae eleemosynarum non respondet. Quapropter distinete praecipimus omnibus Provincialibus et Visitatoribus nostrae Religionis, quatenus si invenerint contrarium facientes, sive Piores, sive Lectores, vel quoscumque alios auferant eis, et faciant vendi, cum honestate Ordinis, et eis denarii inde habitu reddantur pro habitu honesto et humili emendo.

169. Habitus vero semper de die in Ecclesia ad omnes Horas, et dum confessiones audiuntur mulierum, vel cum eisdem habetur colloquium a Fratribus deferatur. Possit tamen Prior, maxime in aestate, cum Nona et Completorium cantantur, dispensare ut Fratres habitum induere non teneantur<sup>36</sup>.

170. Pelliceas de pellibus silvestribus nulli portare concedimus, nisi quis tali infirmitate laboret, quod, de consilio medicorum, eis uti habeat opus; sed de pellibus domesticis pelliceas

<sup>34</sup> nn. 165-166. VERODUN. *Intercala*: Fratres vero, tam subditi quam Praelati, in Quadragesima, in choro si extranei non fuerint, vel alibi, secundum dispositionem Prioris, sextis feriis tantum, teneantur post Completorium super nudo recipere disciplinam hoc modo: Fratres ex parte Prioris, si praesens est, simul cum Priore, parent se ad disciplinam, ponentes genua quilibet in loco suo. Et Subprior, vel maior ex parte eius si praesens non fuerit, tenendo disciplinam, incipiat Psalmum *Miserere*, prosequendo Versum suum, et chorus dicat alium Versum, dando ictum prius Priori, demum Fratribus iuxta eum, unumquemque semel percutiendo, progrediens versus iuniores Fratres usque ad finem. Et iterum regrediatur versus Priorem, et tamdiu circueat sursum et deorsum disciplinans, donec totum Psalmum *Miserere mei, Deus, et Misereatur nostri omnipotens Deus, ac Indulgentiam compleantur*. Quo facto, Fratres de choro Subprioris, simul cum Subpriore, modo supradicto, se parent, et Prior, si adest, alioquin ille qui est iuxta eum, observet per omnia modum in dando disciplinam supradictum.

<sup>35</sup> VERODUN.: Vestibus lineis non utantur Fratres ad carnem, nisi sarabulis, sed laneas tantum deferant vestes, quae tanto magis...

<sup>36</sup> VERODUN. *Añade*: Alibi enim Prioris prudentiae relinquimus deferendum.



illi portare poterunt, quibus Prior suus duxerit concedendum; et tam silvestres quam domesticas Fratres tectas portabunt.

171. Chlamydes ligatas ante pectus, sine ligatura serici et cuiuslibet speciei metalli, infra loca, deferri licebit.

172. Super cucullas cingantur Fratres corrigiis, quae sint de corio nigro, quae non sint amplius duobus digitis latiores et ad minus digito et dimidio, in quibus nihil dependeat vel deferatur.

173. Subtalares omnium Fratrum sine suberis erunt aperti, nisi qui deferuntur infra claustrum, qui possunt esse clausi. Ita tamen quod qui portantur in via nigri tantum sint, et ligentur corrigiis circa talum, et eorum altitudo genuas non excedat. Planelas nullus portare praesumat. Inhibemus autem caligas rubeas et bicoloratas, cum pedalibus et curiosas.

174. Birretum etiam more saeculariorum, necnon bursas et cultellos deauratos, vel alia notabilia manubria curiosa, verum etiam vaginas rubeas et bicoloratas, vel laminas aliquas habentes, cordulas omnes, praeter albas aut nigras, nullus portare praesumat. Sigilla vero propria, nisi de licentia Generalis, nulli liceat habere.

175. Piores vero providere Fratribus omnibus in pelliceis vel nocturnalibus calceis, nisi infirmi fuerint, non cogantur. Debent tamen Piores et Procuratores illis intendere, qui assidue vacant divino operi, ut habeant nocturnales calceos, si facultas Domus permiserit, in communi. Nam Conventus illis Fratribus non respondeat qui habent unde sibi possint in talibus providere.

176. Sudaria autem, quae aut pro sudore detergendo seu pro quavis alia causa deferunt Fratres, non a collo vel a scapulis, sed a cingulo tantum dependeant; quae linea simpliciter esse mandamus, ut in eis nihil albo colori contrarium misceatur.

177. Fratres in dormitorio super fiscones aut paleas dormiant et in cellis eis concessis, quae numquam claudantur neque velentur, nisi forte cancellis ita largas fenestras habentibus, ut quidquid est interius a respicientibus de foris lucide et clare videri possit<sup>37</sup>.

178. In qualibet enim cella dormitorii sit fisco unus, super lectoriam religiosam et honestam, quam Prior semel in anno faciat lavari et de novis paleis repleri; et sit etiam unum pulvinar ad tenendum caput. Et in qualibet lectoria sit fargana una, quam Frater desuper teneat, et mantellum<sup>38</sup>.

179. In foresteria vero, loci possibilitate considerata, sint lectoriae simili modo religiosae et honestae, numero usque ad sufficientem opportunitatem; et in qualibet ex eis sit methalacium, vel saltem fisco unus albus, mundus et honestus, cum aliis pannis opportunis, saltem ut supra dictum est.

180. Infirmi sane gravi infirmitate occupati, et ex ea debiles et languidi iam effecti, possint in linteaminibus et pannis iacere, donec tali sint languore et infirmitate gravati. Alii

<sup>37</sup> VERODUN.: ... quae numquam claudantur neque valentur, ita tamen quod scapulari aut cuculla aliquo extra cellam sua ire non licebit. (Cfr. N. 183).

<sup>38</sup> nn. 178-183. VERODUN. *omite y suple por:* Cum tunica iacentes et cincti poterunt etiam, si voluerint, cum cucullis et scapularibus iacere. Coopertoriis et pellibus necnon cervicalibus et cultris non sericis poterunt similiter uti. Methalacia vero et culcitas et linteamina linea in dormitorio penitus interdicimus esse. Sed in infirmeria ad usum infirmorum talia habeantur. Methalacia tamen in domo hospitum haberi poterunt.



quoque Fratres in pannis vel linteaminibus, quae de lana non fuerint, omnino in loco aliquo Ordinis non iaceant, et alibi, in quantum honeste possunt, vitent.

181. Culcitas de serico, aut methalacia vel cervicalia vel alia coopertoria delicata et curiosa nullus, infirmus vel sanus, teneat in lecto, vel in eis modo aliquo iacere praesumat. Haec enim et alia similia, non solum nostrae sunt dissona paupertati, verum etiam confusionem et erubescientiam inducunt de paupertatis professione cuilibet appetenti.

182. Ad horum observationem et loci promotionem debet Prior quilibet tanto fortius laborare, in quantum ad augmentum honoris et bonae famae appetit Ordinem promoveri.

183. Cum cuculla quoque, vel scapulari vel caputio parvo quilibet dormiat; et extra cellam, nullus sine cuculla vel scapulari exeat.

#### ADDITIO

Circa vicesimum quartum capitulum de vestibus Fratrum addicimus quod Piores Provinciales diligenter attendere debeant si aliqui Fratres in suis Provinciis portent habitum quantum ad colorem, seu valorem, vel figuram, honestatem Ordinis nostri non decentem; et si invenerint talem habitum, priventur illo et ad utilitatem Conventus convertatur. Quod etiam de camisiis, et aliis indumentis indecentibus volumus observari. Et nihilominus portantem camisiam vel aliquid aliud dishonestum vel in honeste, poenae gravioris culpea per quindenam volumus subiacere.

Volumus autem quod quilibet Prior localis, ad minus quater in anno, cellas sui Conventus diligenter perquirat, assumptis secum duobus vel tribus de senioribus de Conventu. Et si invenerit camisiam vel aliquid indecens, puniat ut superius est expressum.

Item concedimus Prioribus ut cum suis Fratribus indigentibus possint dispensare de portanda pellicea de pellibus silvestribus, ita tamen quod non videatur. Et ut calceamenta cum subere portare possint. Et ut Fratres senio, infirmitate vel debilitate hoc requirente gravati, in dormitorio super pennis et honestis linteaminibus iacere possint, ubi commode non habentur officinae, in quibus extra dormitorium dormire valeant tales Fratres. Et hoc idem concedimus Magistris et Baccalariis sacrae Theologiae. Aliter autem super pennis dormientes, et linteaminibus in dormitorio utentes, seu quidquid aliud dishonestum circa lectum tenentes, Superioris arbitrio debite puniantur.

Sigilla quoque venerabiles Fratres, et non alii, habere possint, de licentia Prioris Generalis, dato quod non sint Piores nec Lectores.

Item Fratres omnes, ubi fieri possit, stent in communi dormitorio sub eadem clausura, nec quisquam habeat cellam ab aliis sequestratam, exceptis Magistris sacrae Theologiae. Secus faciens cella privetur, et voce careat, quamdiu sic steterit sequestratus. Volumus autem quod in ostio cuiuslibet cellae sint cancelli seu foramina plura bene larga, quae nullo velamine obturentur, quominus libere prospici possint omnia quae in cella geruntur, tam in studio quam in lecto. Qui vero dicta foramina claustrerit, vel velaverit, pro prima vice, per tres dies in terra sedeat; pro secunda, duplicetur; pro tertia vice, ostium cellae deponatur, et infra octo dies minime reponatur; pro quarta vice, duplicetur poena praedicta, ut sic semper crescente culpa poena etiam invalescat.



Quicumque autem Frater cellam alterius sine licentia expressa Prioris de die intraverit, quam licentiam non sine necessaria causa et rationabili dabit, per quindecim dies in terra poeniteat. De nocte vero intrans, praedictam poenam sustineat duplicatam.

Si quis autem de hoc pluries notatus fuerit et convictus, de Conventu illo tanquam suspectus et inoboediens removeatur. Et eodem modo puniatur ille cuius est cella, nisi evidenter ostendat inmediato, quod sibi displiceat introitus supradictus. Praedictam autem poenam non extendimus ad cellas Magistrorum sacrae Theologiae.

## CAPITULUM XXV

### QUOMODO ET QUANDO DEBEAT FRATRIBUS PRO CONGRUENTIA TEMPORUM IN VESTIBUS PROVIDERE

184. Quia congruum tempus ad provisionem vestimentorum Fratrum est a festo sancti Michaelis usque ad festum Omnitum Sanctorum, volumus quod quilibet Prior nostri Ordinis, infra tempus praeonominatum, sciat a Fratribus sui Conventus, quo vestimento, cuculla vel tunica, quilibet ex eis magis indigeat. Quo scito, caritativa festinatione procuret idem Prior, ut, infra terminum praedictum, de uno vestimento communis pretii cuilibet Fratri ipsius Conventus, non habito respectu quali vel quanto tempore in eodem loco conventualis extiterit, sit provisum. Praeter hoc, unum scapulare et calceamenta necessaria, iuxta possibilitatem loci, alicui ex dictis Fratribus penitus non negentur.

185. Frater enim qui infra annum de loco ad locum, levitate animi, se fecerit moveri, vestimentum illius anni a Conventu aliquo, suadente sua inconstantia, non habebit. Denarii vero, si qui, etiam de licentia, fuerint inventi, pro vestimentis eius, cui concessi fuerant, expendantur, nisi eidem pro infirmitate qua laborat apparerent corporea sint concessi; aut si Clericus aptus studio vel forte indigent Breviario et Missali, seu horum altero, cui pro libris necessariis suo studio volumus indulgeri.

186. Ille sane qui de loco ad locum oboedientiam se recipit transferendi omnia quae habet, tam in libris quam in aliis quibuscumque rebus, Priori loci de quo recedit singulariter demonstrabit. Et ea omnia, scripta in una cedula sigillata sigillo eiusdem Prioris, ad quem ibit Priori, cum praedicta cedula repraesentet, se sciens, praevericatione suae inoboedientiae, perditurum quascumque res, si eas secundum praetaxatam formam omiserit praesentare.

## CAPITULUM XXVI

### QUOTIES IN ANNO, ET QUIBUS TEMPORIBUS MINUTIO FIERI DEBEAT IN COMMUNI

187. Minutio quater in anno fieri concedimus. Prima post Nativitatem Domini; secunda, post Resurrectionem; tertia, circa festum beati Ioannis Baptiste; quarta, in mense septembri. Praeter has minutiones, nullus sibi minuere audeat, nisi, de consilio medici interdum videatur aliter observandum, et hoc fiat de licentia sui Prioris.



188. Minuti a prima die minutionis eorum usque ad diem tertium non ieunent, nisi interveniat solemne ieunium. Prior vero seorsum melius eis quam aliis in victu faciat provideri, et ad Vigilias cum Conventu surgere non cogantur.

189. Sacerdos die qua sibi minui fecerit et sequenti Missam celebrare non cogatur, nisi talis forsitan sit casus, quod si non celebret, Ordini scandalum oriaretur.

190. Qui autem in lingua vel in manu post cibum fecerit sibi minui, ieunia Ordinis non frangat, nisi discretioni Prioris videatur aliter observandum. Cum Fratre autem minuto, si videbitur, ut sexta feria vescatur ovis et caseo, dispensare poterit.

## CAPITULUM XXVII

### QUOTIENS IN ANNO ET QUIBUS TEMPORIBUS RASURA FIERI DEBEAT IN COMMUNI

191. Rasura superior sive corona sit non modica, ut Religiosos decet, ita ut inter ipsam et tonsuram, quae desuper aures tam Clericis quam Laicis Fratribus omnibus ac etiam Conversis aequaliter fiat, non reserventur Clericis plus quam tres digiti capillorum.

192. Et fiat a Resurrectione usque ad festum sancti Michaelis de quindecim in quindecim dies. Deinceps vero usque ad Resurrectionem octo vicibus Fratres radantur, scilicet, circa festum Omnis Sanctorum, in festo sancti Andreae apostoli, in Nativitate Domini, in octava Epiphaniae, in Purificatione, et medio tempore inter Purificationem et Resurrectionem, bispartito tempore, alia vero circa Resurrectionem.

193. Praeter has rasuras, nullus faciat sibi radi, nisi, propter infirmitatem aliquam, id alicui concedatur, de consilio medicorum. Quod si alicui quacumque ex causa concessum fuerit differre rasuram, nulli tamen Fratri, Clerico vel Laico aut Converso, liceat differre tonsuram.

## ADDITIO

Circa vicesimum septimum capitulum de rasura addicimus quod rasura capitis et barbae uniformiter observetur, concedentes Prioribus ut in rasurae tempore per Constitutiones ordinato possint dispensare.

## CAPITULUM XXVIII

### DE FORMA ELECTIONIS SUBPRIORIS, ET OFFICIO EIUS

194. Quilibet Conventu nostri Ordinis, in quo praeter Priorem duodecim Fratres fuerint, debeat Subpriorum habere qui tam ab ipso Priore quam ab aliis Fratribus de ipso Conventu canonice eligatur.



195 Officium sive auctoritas Subprioris in solius Prioris potestate consistit, ita ut, ipso existente Priore in loco, se habeat sicut alius Frater in omnibus, excepto quod si Prior, aliquibus negotiis occupatus, in Choro, vel in Capitulo seu ad Collationem non fuerit, aut cum hospitibus esset, Subprior in locis illis in loco Prioris erit, et sicut Priori obedietur eidem.

196. Cum autem Prior foras egreditur, die ipsa ad locum proprium reversurus, ac si in loco esset Prior, eadem auctoritas Subprioris erit, excepto quod emittere possit Fratres, si necessarius casus exegerit; et concedere Fratribus ut ordinate cum extraneis loqui valeant, in casibus concessis; et ieuniis Ordinis dispensare, nisi id ei fuerit interdictum.

197. Si vero ad loca remotiora perrexit, utpote ad generale vel provinciale Capitulum, vel alio quod multum distet, intelligitur Subprior in omnibus gerere vicem eius, nisi ipse Prior sibi specialia aliqua interdicat, contra quae vel aliquod eorum, etiam si ad id omnium Fratrum sive Capituli consensus accedat, non praesumat aliquid attentare.

198. Cum vero Conventus non habuerit Subpriorem, et Prior aliquo ire debet, ad arbitrium suum alicui de magis discretis religiosis et providis vicem suam committat, nisi cum ad provinciale Capitulum itur. Tunc enim Fratres communiter Vicarium unum eligant, qui post Prioris egressum, sicut Prior curam eorum in spiritualibus et temporalibus gerat, donec Prior ipse revertatur ad locum vel eis fuerit de successore provisum<sup>39</sup>.

## CAPITULUM XXIX

### DE MODO ELECTIONIS PROCURATORIS ET SACRISTAE, ET OFFICIO EORUM

199. Cum Procurator vel Sacrista erit eligendus, talis modus servetur, videlicet, quod Prior in Capitulo, omnibus Fratribus congregatis in communi, coram omnibus voluntatem singulorum requirat, et in quem maior et sanior pars concordaverit, ille pro Procuratore vel Sacrista habeatur.

200. Procuratoris officium est bona Conventus et singulorum Fratrum, si qua eis pro libris vel aliis necessariis suis concessa fuerint, una cum Priore in arca publica sub duabus diversis clavibus custodire, et exteriora omnia quantum poterit procurare; familiares Domus et Fratum, maxime autem infirmos, visitare; quid Conventui in refectorio, quid mensae hospitum, quid necessitatibus infirmorum expeditat solicite et diligenter inquirere, ne, quantum in eo fuerit et facultas Domus permiserit, Fratres incommodum grave, sive sani sive infirmi fuerint, patientur. Sed hoc de voluntate tacita vel expressa Prioris faciat, sine cuius licentia aliquid magnum expendere, etiam in commune commodum, non liceat. Hic tempore silentii, debitiss horis, cum infirmario, coquinario, cellarario, Conversis et famulis Domus, de his quae tunc necessaria erunt, loqui poterit, discreto tamen, ne concessa sibi potestate videatur abuti.

201. Bona omnia spectantia ad Conventum, quae ad manus eius pervenerint, et quomodo expenderit, et expensas quas fecerit in libro faciat scribi, ut de omnibus eis semel in mense,

<sup>39</sup> VERODUN.: ... et Prior aliquo iré debet, vicem suam cui voluerit pro arbitrio suo relinquat, nisi cum ad provinciale...



coram toto Conventu, reddat rationem, et Conventus penitus audiat. Quod si de introitu aliquid forsitan residuum fuerit, illud quid, quantum, et ubi fuerit; seu si debitum contraxerit, cui et in quanto, et pro quibus casibus tenetur, eisdem Fratribus et Conventui resignabit, sciens quod a die rationis redditae de praedictis usque ad sequentem terminum reddendae rationis, debitum pro quacumque causa, ultra valorem unciae puri argenti vel septem solidorum turonensium parvorum, absque speciali Conventus licentia, sibi contrahere non licebit.

202. Singulorum vero Fratum bona, quae in custodia eius erunt, sine eorum consensu non expendat, nisi pro necessitate prorsus grandi; et hoc eo modo, ut ea cum eguerint, sine difficultate restituantur eisdem.

203. Deposita aliqua cuiuscumque personae Procurator vel Frater aliis recipere vel servare nullo modo praesumat, nisi de voluntate et consensu Prioris et partis sanioris Capituli; et si aliqua hoc modo recepta fuerint, ea tamen in supradicta arca servanda ponantur, quae Prior ipse aut Conventus, sub pretextu aliquo vel occasione aliqua, obligare alicui, vel de eis aliquid expendere, nullo modo praesumant. Si deposita fuerint magna, nisi de licentia Provincialis vel sui Vicarii, nullatenus recipientur.

204. Inhibemus autem, ut nullus Frater alicius communitatis efficiatur camerarius vel massarius, seu alicius Domini saecularis, quantumcumque importune petatur. Quicumque autem procuraverit ullo modo vel fecerit procurari, ut ipse vel alius de nostro Ordine ad officium huiusmodi eligatur vel petatur, poenis gravioris culpae per mensem unum, sine dispensatione aliqua, beat subiacere. Simili poenae subiaceat, quicumque, per se vel per alium, procuraverit, quovis modo, ut capellanus alicius personae ecclesiasticae vel saecularis fiat<sup>40</sup>.

205. Sacristae autem officium est ornamenta Ecclesiae custodire, se reddere sollicitum in his quae ad divinum Officium pertinent, tam in Horis pulsandis quam in aliis ad eius officium pertinentibus, cum totus Conventus in praedictis ad manus eius prospiciat et attendat.

206. Oblationes vero fidelium quae deferuntur ad altaria vel dantur pro Missis specialiter, nominatim ad manus eius veniant, quas custodiat et pro utilitate sacristiae possit expendere, si de Prioris et Conventus processerit volūntate. De quo introitu et exitu, sicut Procurator, suis temporibus, reddat rationem.

207. Si quae eleemosynae ad manus Prioris, Procuratoris et Sacristae vel alicuius Fratris devenerint, eas quales et quantae fuerint, et quare datae sunt, proxima sequenti sexta feria in Capitulo coram omnibus Fratribus Prior nunciet et dicat, et animam defuncti seu personae viventis, pro qua vel quibus datae sunt huiusmodi eleemosynae, Fratribus devote recommendet, et eos ipse Prior moneat, ut pro ipsis affectuose orient. His autem relatis et auditis, surgat Prior et dicat: *Retribuere dignare, etc. Amen. Psalm. Ad te levavi. Quo finito in communi, cum Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster,* dicat Hebdomadarius: *Et ne nos. Sed libera. Salvos fac servos tuos. Deus meus. Domine, exaudi. Et clamor. Dommus vobiscum. Oremus. Praetende, Domine, misericordiam, etc*<sup>41</sup>.

<sup>40</sup> VERODUN.: *Omite al final:* Simili poenae... vel saecularis fiat.

<sup>41</sup> VERODUN.: ... vel alicius Fratris devenerint, semel ad minus in hebdomada, scilicet sextis feriis, in Capitulo, personam quae dedit recommendare beat, quantitatem et qualitatem eleemosynae coram omnibus nominando. Tunc surgat Prior et dicat...



208. Si pro mortuis recommendatio fiat, dicto *De profundis* in communi, cum *Requiem aeternam. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. A porta inferi. Erue, Domine. Requiescant in pace. Amen. Domine, exaudi. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Fidelium Deus, etc.*

#### ADDITIO

Circa vicesimum nonum capitulum de officio Procuratoris addicimus quod quicumque Prior, vel vicem eius gerens, rationem Conventus saltem semel in mense, secundum formam Constitutionis, reddi non fecerit, rationabili causa non subsistente, sit sua annuali provisione privatus. Addentes quod in omni ratione Conventus, Lectores intrare debeant, cum duobus studentibus ad minus.

Volumus etiam quod in singulis maioribus Conventibus habeantur tria inventaria, in quaternis stabilibus, quorum de omnibus bonis movilibus et inmovilibus unum teneat Prior aliud Procurator, tertium unus bonus Frater de Conventu. In minoribus vero Conventibus sufficient duo. Prior autem qui praedicta inventaria non ordinaverit, vel in eis bona Conventus, de anno in annum, registrari non fecerit, sua annuali provisione privetur, quam provisionem, si alias propter alios excessus perdiderit, tunc de bonis sibi concessis ab Ordine, tantum emendare debet Conventui, quanta est provisio memorata. Quod si non fecerit ante Capitulum provinciale, tunc ab illo Capitulo provinciali per biennium sit ineligibilis in Priorem. Et nihilominus per ipsos Definitores Capituli praedictas provisiones solvere constringatur.

Praecipimus etiam et mandamus quod quilibet Conventus in littera quam mittit Capitulo provinciali informare teneatur Vicarium et Definitores Capituli, utrum Prior istud statutum fecerit integraliter observari.

#### CAPITULUM XXX

##### QUOMODO ELIGANTUR DISCRETUS ET VICARIUS DOMUS QUANDO AD PROVINCIALE CAPITULUM ITUR

209. In electione Fratris, qui pro Capitulo loci sive Domus cum Priore conventuali ad provinciale Capitulum ire debet, et eius qui pro Vicario, ubi non est Subprior, remanere debet, servabitur iste modus.

210. Fratribus omnibus qui erunt de Capitulo congregatis in unum, eligantur duo Fratres qui super electione utriusque audiant vota Fratrum, primo vota sua scribentes et postea ceterorum, hoc modo: Fr. N. consentit in N. Fratrem pro Vicario eligendum, et pro Discreto in Fratrem N. Quo facto, coram omnibus, unus illorum duorum pronunciet sive publicet quis Vicarius et quis pro Discreto nominatus erit. Et postea, de voluntate omnium, unus de scrutatoribus eundem vel eosdem eligat, sic dicendo: Ego, Frater N., nomine meo et nomine omnium ad quos spectat electio Vicarii et Discreti, eligo Fratrem N. in Vicarium talis loci, et Fratrem N. in Discretum Capituli provincialis talis Provinciae celebrandi in Conventu N. tali die.



211. Et tunc, egresso Priore de Capitulo, ipsi duo Fratres qui audierunt scrutinium et Frater Discretus tunc electus, sedentes hi tres remote, ita ut ab aliis videri possint non tamen audiri, primo scribant quid eorum quilibet sentiat de Priore, scilicet, an velint illum repeterem in Priorem. Et postea super eodem inquirant diligenter, et fideliter scribant quid Fratres alii sentiant de Priore: utrum velint illum absolvit, an in dicto officio confirmari<sup>42</sup>.

212. Si vero contigerit, quod praedicti duo auditores scrutinii, unus pro Vicario et alius pro Discreto fuerint electi, aut aliquis eorum pro Vicario vel pro Discreto electus fuerit, Frater alius de Conventu, iuxta praedictam formam, de novo eligatur, qui cum praedictis duobus, scilicet Vicario et Discreto, super facto Prioris, ut superius dictum est, audiant vota Fratrum. Quo electo. Prior egrediatur extra Capitulum et Fratres super facto Prioris, sicut superius continetur, cum gravitate procedant.

213. Si autem aliquis Frater, cuiuscumque conditionis existat, inveniatur procurare voces pro aliquo Fratre eligendo ad curam animarum vel ad aliquod officium Ordinis, quindecim diebus in pane et aqua, sedendo in medio refectorii, ieunet, et qualibet die recipiat disciplinaria, et usque ad triennium careat voce<sup>43</sup>.

214. Capitulum autem seu Conventus petens Priorem suum absolvit per litteras ex parte Conventus, causis huius absolutionis in ipsis literis assignatis, petat aliquem religiosum virum a Vicario et Definitoribus sibi in Priorem praeficiendum; et in petitione eorum successive plures ponant, eo quod si de primo, quem sibi omnino dare debent, non potest satisfieri eis, ut puta quia forte ad curam ex aliqua causa rationabili non potest assumi, vel quia a maiori et digniori loco petitur in Priorem, aut quia tanta instantia petit ipso anno sine cura animarum manere, quod eius humilitas obtinet gratiam remanendi, satisfaciat eis de secundo. Quod si de secundo, simili modo, eis satisfieri non potest, quod satisfaciat eis de tertio. Hoc tamen prae omnibus observato, ut semper ille detur, qui ab omnibus et concorditer, vel a maiori parte ex eis, petitur in Priorem. Alioquin ipso facto sit irritum et inane quidquid de institutione alicuius Prioris factum fuerit, Constitutionis huius ordine praetermissio; et tunc electio ad Conventum revertatur<sup>44</sup>.

215. Super his et aliis vota omnium et singulorum Fratrum, nihil addito vel diminuto, distinete et aperte, unus ex his scrutatoribus coram aliis scribat, et litteram scriptam cum sigillo Conventus, vel Prioris si Conventu sigillum non habet statim sigillari faciat; et ipsam sic sigillatam Vicario et Definitoribus per Discretum loci transmittat<sup>45</sup>.

---

<sup>42</sup> VERODUN.: ... scilicet an velint ipsum absolvit, aut velint ipsum iterum repelere in Priorem...

<sup>43</sup> VERODUN.: *Omitido*

<sup>44</sup> VERODUN.: Quicumque autem Conventus Priorem suum absolvit petierit, causis pro quibus voluerit aut petit absolutionem fieri assignatis, nominet tres Fratres, vel plures, successive in scriptis, quorum unus a Vicario et Definitoribus Capituli praeficiatur eis in Vicarium, si Prior eorum contingat absolvit, cum alium eligere non possint, donec Prior eorum fuerit absolutus.

<sup>45</sup> VERODUN.: Conscriptis dictis et voluntatibus singulorum, servata in omnibus forma suorum verborum, ab eis per unum ex ipsis scrutatoribus, aliis duobus praesentibus, in forma epistolae educantur. Quam sub sigillo Conventus, aut si Conventus sigillum non haburint sub sigillo Prioris, quod ipse sponte offerat, clausam, Frater, qui pro Discreto erit electus ad Capitulum provinciale, Portabit eam Definitoribus ipsius Capituli oblatus. Eisdem vero scrutatoribus et Fratribus aliis firmiter inhibemus, ut ea quae circa petitionem absolutionis aut confirmationis Prioris eorum scripserint, in toto vel in parte, nemini revelare praesumant, nisi Vicario et Definitoribus provincialis Capituli, si necessitas suadebit.



216. Quod si quis aliquid operatus fuerit, propter quod vota Fratrum, nihil addito vel diminuto, ad Vicarium et Definitores Capituli non perveniant, per annum careat voce, et per duos menses subiaceat poenae gravioris culpae<sup>46</sup>.

217. Prior autem qui a Conventu repetitur in suo statu omnino remaneat, nisi aliud obsistat canonicum, propter quod remanere in officio non possit.

218. Si vero in electione Vicarii, aut eius qui pro Conventu ad provinciale Capitulum iturus est, vel etiam Subprioris Fratres se in partes aequales divisorint, illius partis praevalebit electio, quam Prior sine vitio acceptabit. Vitium intelligitur esse si sufficientior non praefertur.

219. Ad provinciale vero Capitulum non nisi Frater Clericus et qui habet ad minus viginti quinque annorum aetatem pro Discreto mittatur.

220. A die autem absolutionis Prioris vel quocumque casu alias officium prioratus vacaret, Fratres qui vocem in electione habent, libere usque ad mensem, quando voluerint, electionem de Priore poterunt celebrare, non distincto de qua sit Provincia, dummodo alias sit persona idonea. Nolumus enim ut aliquis nisi sit Sacerdos et natus de toro legitimo ullo modo possit in Priorem, vel Subpriorem, aut Vicarium assumi, eligi vel relinquiri, nisi fuerit cum tali per Summum Pontificem dispensatum. Salvo quod, si de Provincia alia fuerit Prior electus ad Generalem eius confirmatio pertinebit.

221. Si vero infra mensem non elegerint predicti Fratres Priorem, volumus ut ad Generalem, si in Provincia fuerit, sin autem ad Priorem Provinciale, ipsa auctoritas et potestas providendi de Priore devolvatur. Cuiuslibet autem Prioris electionem Generalis Prior, si praesens fuerit vel si pro ea ad ipsum illi ad quos spectabit recursus habuerint, si eam canonice celebratam invenerit, confirmabit. Alias autem, quilibet Provincialis Prior, si confirmatus fuerit, electiones omnium Conventuum de Provincia sua, si canonice celebratae fuerint, confirmabit<sup>47</sup>.

222. Conventus autem, qui Subpriorem habuerit et non Vicarium, debebit eligere Discretum, qui pro Conventu vadat ad provinciale Capitulum cum Priore<sup>48</sup>.

223 Prior quoque loci in quo ipsum Capitulum celebrari debebit, sui non privabitur executione officii, donec eius absolutio secundum formam Ordinis fuerit promulgata. Sed nec is qui in Vicarium loci illius electus est aut Subprior donec secundum predictam formam de eiusdem Prioris absolutione constabit, nisi iussus, se de aliquo intromittat.

## ADDITIO

Circa tricesimum capitulum quando elegantur Discretus et Vicarius addicimus quod si qui Fratres cum Praelatis et Dominis saecularibus commorentur, existendo de eorum familia, quantum ad domicilium et mensam, tales cuiuscumque conditionis existant, citra statum Magisterii, nullam vocem habeant in aliquo Capitulo provinciali nec conventuali, quamdiu cum huiusmodi Dominis commorantur. Et si quis eorumdem Fratrum aliquid commiserit,

<sup>46</sup> nn. 216-217: VERODUN. *Omite*.

<sup>47</sup> VERODUN.: Si vero antequam mensis ipse compleatur non elegierint.

<sup>48</sup> VERODUN.: Conventu autem, qui Subpriorem habuerit, Discretum. tantum et non Vicarium debebit eligere, qui pro Conventu.



unde scandalum notorium oriatur, possit per quemlibet Priorem Provincialem vel localem capi et corrigi secundum exigentiam delictorum.

Statuimus insuper quod quicumque procuravent litteras, vel preces inopportunas alicuius personae nostri Ordinis non professae, pro lectura Sententiarum aut quacumque promotione in Ordine consequenda, seu pro correctione vel poenitentia subterfugienda, quominus dispositio libere valeat observan, eo ipso sua petitione frustretur, et voce careat per quinquennium; et nihilominus per unum mensem poenae culpae gravioris subiaceat. Et si de aliquo probabiliter praesumatur, quod tales litteras vel preces procuraverit, et ipse negaverit, ad suam purgationem canonicam compellatur. In qua si defecerit, poenae subiaceat supradictae.

Item inhibemus quod nullus Frater electioni de se factae ad episcopatum, abbatiam, prioratum, seu ad quamcumque praelationem aliam extra nostrum Ordinem, assensum praebeat, cum hoc de iure non possit, sine Prioris Generalis vel altenus Superioris, qui de iure dare possit, licentia speciali. Nec etiam aliquis, habita tali licentia, huiusmodi assensum praebeat, nisi prius Superiori locali vel provinciali, in Fratrum praesentia libros, pecuniam, aliasque res omnes, quas in nostro Ordine retinebat, integraliter assignaverit. Qui contra fecerit sit eo ipso vinculo excommunicationis innodatus, quam in eum vel in eos, trina monitione praemissa, ferimus in his scriptis. Eidem etiam sententiae subiiciimus quemcumque Fratrem, qui sibi procuraverit episcopatum de solo titulo, vel quamcumque aliam praelationem extra Ordinem nostrum; et nihilominus, poenam gravioris culpae sustineat per sex menses.

Volumus etiam quod in omni electione fienda in provinciali Capitulo, Piores et Discreti locorum habentium octo Fratres conventuales professos, connumerato Priore, singuli habeant voces suas. Piores vero et Discreti locorum habentium minorem numerum Fratrum, unam tantum habeant vocem, et si dissenserint, praevaleat vox Discreti. (*Cfr. n. 258 del Verodunense.*)

Item quia nostri Ordinis Constitutio, capitulo tricesimo secundo, dicit quod in quolibet loco Ordinis nostri ad minus debent poni duo Sacerdotes, ideo praecepimus praesentium tenore, quod nullus Conventus vocem habeat in Capitulo provinciali, nisi ad minus habeat duos conventuales Sacerdotes, qui more solito resideant in Conventu.

Nullus etiam Prior vocem habeat in praedicto Capitulo, nisi debitam residentiam faciat in Conventu, cuius dicitur esse Prior.

Eidem poenae subiaceat quilibet Prior, et eius vices gerentes, qui non fecerit cantari omnes Horas canonicas diurnas pariter et nocturnas.

## CAPITULUM XXXI

### DE OFFICIO ET AUCTORITATE PRIORIS CONVENTUALIS ET PRO QUIBUS CASIBUS ABSOLVATUR

224. Priori tanquam patri Fratres sui Conventus cum devotione et reverentia, salvis mandatis Maiorum, oboediant.



225. Ad officium autem eius pertinet: suis subditis spiritualia et temporalia ministrare, et ex eis delinquentes secundum statuta Ordinis corrigere, et a sententia excommunicationis a se lata, vel ex levi iunctione manuum subditorum suorum proveniente absolvere. Sed cum ab irregularitate absolvendi auctoritatem non habeat, irregularem suum subditum ministrare in sacris Ordinibus non permittat, nec ipsum in suum Vicarium relinquat, nec eum ad Ordinem promoveri faciat. Nam talibus non solum ministratio est inhibita, verum cuiuslibet dignitatis est electio seu prometio interdicta.

226 Praeterea, potest ipse Prior apostamat suum a die commissae apostasiae, salva Ordinis disciplina usque ad mensem recipere et cum Fratribus, extra refectorium, dormitorium chorum claustrum, si quando discretioni sua videbitur, in silentio dispensare.

227 In loco enim, quantum potest, assiduus sit, et ad illud idem cogat Fratres suos, quantum potest, cum exo nimio discursu Ordo apud clerum et populum incurrat infamiam non modicam et iacturam.

228. Praeterea, inhibeat ipse Prior instanter Fratres discurrere per Ecclesiam, et de ea exire, quando in ea divinum Officium celebratur.

229. Item suos subditos saepe moneat ut per locum et extra locum religiose et devote incedant, et cum omnibus, maxime cum Clericis saecularibus et Religiosis alterius Professionis, humiliter et devote loquantur, et ipsis Clericis et Religiosis honorem et reverentiam, cum casus occurrent, decenter exhibeant<sup>49</sup>.

230. Inter Praelatos quoque Prior et Fratres ubique conversentur et vivant honeste, et eis, in quantum honestas et status Religionis permittit, reverentiam et honorem exhibeat.

231. Prior quoque cui cura ammarum subditorum suorum ab Ordine est commissa et pro quibus Deo debet reddere rationem, inter cetera, suos subditos ad humilitatem, obedientiam paupertatem et castitatem integrum servandam frequenter hortetur et moneat.

232. Ad Horas canonicas temporibus statutis Deo reddendas, intus et extra, solicitet et confortet, et eas omnes in choro, excepta Sexta, semper cantari faciat. Si vero Frater aliquis, quod absit, ita immemor suae salutis fuerit, ut Horas canonicas, intus et extra, more debito dicere non curaverit, illum Prior moneat, increpet et corrigat. Si autem pluries monitus de hoc se non correxerit, Priori Provinciali significet, et ipsum de suo Conventu, si sine scandalo fieri poterit, removeri petat, sperans ut vitam suam ex hoc forte alibi in melius mutet, nam quasi schismaticus vitari merito debet, qui debitum, quo Deo tenetur astricatos, eidem subtrahere nullatenus timet.

233 Extra vero ipsum locum ultra tres dies sine magna et evidenti necessitate Prior non stet. Si autem pro utilitate loci quandoque aliter forte expediatur, vel sibi evidens et quasi inevitabilis necessitas immineret, id de licentia sui Provincialis vel sui Vicarii, si in propinquuo loco fuerit, faciat; et si prope non fuerit, ad hoc consensum omnium seniorum sui Conventus requirat et habeat. Alioquin pro qualibet vice tres dies continuante ieunio in pane et aqua, sine ulla dispensatione, ieunet. Qui vero huius mandati ex consuetudine transgressor extiterit, nisi suos discursus moderaverit, ad prioratus officium, tanquam levis et inconstans, eligi non possit<sup>50</sup>.

---

<sup>49</sup> VERODUN.: *Omitido*

<sup>50</sup> VERODUN.: ...de licentia sui Prioris Provindalis vel Vicarii faciat. Alioquin pro qualibet vice... ieunet. *Omite lo que sigue:* Qui vero...



234. Vicarius vero, qui ab eo in loco relinquitur, locum non exeat, cum Vicarium relinquere non possit. Subprior autem, qui per electionem factus est, Vicarium relinquere poterit. Si autem per oblivionem Vicarium in loco relinquere quandoque omittatur, ille aliis praesit Sacerdos, qui prius ad Ordinem venit. Et idem observetur in Fratribus aliis, ubi Sacerdos non reperitur.

235. De subditis vero suis Professum ad sacros Ordines nullum, sine licentia sui Provincialis, promoveri faciat. Quod si contra fecerit, octo dies in pane et aqua infra mensem ieunet.

236. De bonis autem pertinentibus ad Conventum Prior non recipiat nec apud se retineat, sed si quandoque ipsum aliquid a persona aliqua recipere contingat, quod invitus facere debet, illud quantum et quale Procuratori Domus statim cum fuerit in loco assignet et det, et in libro Procuratoris illud lucide et clare, et nomen et cognomen personae dantis, et causam quare dedit scribi faciat<sup>51</sup>.

237. Frater vero quicumque sit, qui de bonis pertinentibus ad Conventum aliquid receperit et praedicto modo non resignaverit, si de hoc probabiliter fuerit convictus, poenae furti subiaceat, et per omnem modum furti iudicio condemnetur.

238. Prior debitum sine licentia sui Conventus vel maioris et sanioris partis ipsius nullum contrahat, et si contraxerit, illud Conventus solvere non obligetur, sed ipse ad satisfactionem eius compellatur. Expensas item nullas sine licentia sui Conventus faciat, sed necessarias et utiles expensas per Procuratorem, vel Subpriorem seu Sacristam, si quandoque Procurator in loco non sit, fieri faciat, ne ex hoc Procuratoris officium impedit. Procuratori tamen, statim cum ad locum devenerit, dictas expensas assignet, et eas in libro Procuratoris scribi faciat, ut de ipsis cum aliis rationem reddat. Et si quandoque, causa aliqua emergente, aliquas modicas expensas ipsum facere contingat, de illis coram omnibus Fratribus lucide et clare rationem reddat: et si utiles et necessariae pro loco compertae fuerint, eas Procurator solvat; alioquin ipse, qui eas sine utili vel necessaria causa Conventus fecit, de eis satisfaciat.

239. Prior sane, cui curam et administrationem alicuius loci Capitulum provinciale committit, ita in administratione, et cuitu divini Officii, et observatione bonae vitae et famae, interius et exterius, per se et suos Fratres, vigilet et insistat, ut Deo, qui corde et opere colitur, administrationem acceptam et gratam exhibeat, et ex ea Ordini fidelium devotio plus accrescat. Utilitatem namque et commoditatem loci sic provide procuret et quaerat, quod in fabrica Ecclesiae, Domorum, et alia loci promotione, sua solicitude et fidelitas nota fiat.

240. Ad Capitulum si quidem Provinciae quidquid in fabrica et aedificiis Domorum, et in ampliatione situs locorum expendit, Conventus per suas litteras, quas Discreto dabit portandas, transmittat, ut Definitores et Provincialis seu Vicarius, qui habent statui locorum Provinciae providere, possint arbores infructuosas et terram inutiliter occupantes succidere, fructuosas vero et utiles cultura debita venerari.

241. Item Prior quilibet, quantum Ordinis honestatem, honorem et bonam famam diligit, Oratorium vel Ecclesiam, in his quae ad ornatum et decorem Ecclesiae pertinent, studeat solicite conservare. Domos vero et officinas omnes et maxime dormitorium, refectorium et foresteriam munde et honeste procuret penitus retinere.

---

<sup>51</sup> nn. 236-241: VERODUN. *Omitidos*



242. Tempore namque ordinato et praefisso, Prior ad Capitulum suaee Provinciae ibit. Quod si iusto et excusabili impedimento ire non poterit, sigillum per Discretum sui Conventus mittat. Si vero personaliter non iverit, vel si iustum habens excusationem non eundi sigillum non miserit, eo ipso quod mandati Ordinis transgressor existit, ad omne officium cum cura animarum ineligibilis per quinquennium permanebit<sup>52</sup>.

243. Rursus etiam nullus invitus Prior, aliter quam in generali vel provinciali Capitulo, nisi pro excessu aliquo de infra notatis. absolvi debeat, nisi tali laboret infirmitate, quod, si de alio non provideretur, locus incurreret detrimentum.

244. Excessus vero pro quibus absolvi poterit sunt isti, scilicet: si infirmos sui Conventus saepe non visitaverit, et si eos diligent cura medici et medicinae, ubi haberri poterunt, curari non fecerit, et si eos sufficienter necessaria per infirmarium solicitum et deputatum servitio ipsius infirmi ministrari non fecerit. Si ad Matutinum ex consuetudine raro surgit. Si Capitulum non intraverit, nisi raro. Si propriis et illicitis quaestibus intendit. Si raro celebrat. Si Fratribus ex consuetudine minatur, et verba eis opprobiosa et contumeliosa dicit. Si Constitutiones Ordinis in Capitulo frequenter non legit vel non legi facit. Si de nocte colloquiis inutilibus ex consuetudine vacat. Si de bonis loci, quae ad manus eius pervenerunt, sicut Procurator, coram toto Conventu et omni mense, rationem non reddit. Si scissuram vel aliquid aliud probabiliter committit, propter quod pax sui Conventus seu Provinciae turbari possit. Si probabiliter etiam inveniatur, quod per se vel per alium procurat, ut ad officium alicuius prioratus eligatur, vel in eodem confirmetur; in quo casu, privatus officio prioratus in quo est, ad omne aliud ineligibilis per triennium remanebit. Si inter saeculares est infamis, licet per Fratres probari non possit. Si communem vitam cibi et potus cum Conventu non tenuerit. Si munera seu dona ab aliquo subdito suo, praeter comestibilia, receperit. Si probabiliter inveniatur, quod alicui habenti vocem in aliqua electione suaserit, ut vocem suam huic vel illi det. Si commiserit probabiliter propter quod poenae gravioris culpae subiacere debeat. Si subditum suum de manifesto excessu secundum Ordinis instituta non correxit: excessum autem manifestum intelligimus, qui per tres vel duos saltem Fratres bonae vitae et opinionis probari potest.

245. Praeterea, quia tremendum et periculosum est in sententiam excommunicationis prorumpere, districte praecipimus et mandamus omnibus conventionalibus Prioribus, Subprioribus et Vicariis, ut pro nulla interveniente causa, irrequiso Generali seu Provinciali Priore, vel vicem eius gerente, in sententiam excommunicationis prorumpant; sed alteri eorum conditione exposita, et de ferenda tali sententia petita licentia et obtenta, poterunt eam ferre, quam cum tremore debent non modico, trina monitione praemisa, in scriptis huiusmodi sententiam promulgare. Alias enim, id est, sine scripto et monitione sententiam excommunicationis ferens, triginta diebus ab introitu Ecclesiae abstinere debet. Alioquin, ipso facto, id est, quia non abstinuerit triginta diebus ab introitu Ecclesiae, postquam sententiam excommunicationis tulit sine monitione et non in scriptis, irregularitatis sententiam se sentiat incurrisse. Cuius absolutionem non nisi a Sede Apostolica poterit obtinere.

246. Igitur, cum huiusmodi sententiae multiformiter pericula contineant animarum, Generalis vel Provincialis Prior, de cuius auctoritate ferri debent, ad huiusmodi licentiam concedendam quasi inviti et cum multa maturitate et providentia inclinentur.

---

<sup>52</sup> VERODUN.: Tempore sibi ordinato ibit ad provinciale Capitulum ipse Prior. Quod si iusto ..



247. Prior autem, qui contra praescriptum praecepsit sententiam excommunicationis aliquam promulgare, ipso facto, ab administratione et executione officii sui sit per mensem suspensus et secundas, quartas et sextas ferias eiusdem mensis in pane et aqua solum ieiunet, et interim Subprior, si est, regat locum, alioquin antiquior Sacerdos, donec per Superiorem remedium apponatur.

248. Modus enim ferendae sententiae, pro quibusdam in talibus forte rudibus, talis erit. Ego, Frater N., Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Prior de tali loco, in tali civitate, te Fratrem N. de tali loco, nostrum subditum et conventualem, rogo, hortor et moneo, primo, secundo et tertio, et tibi in virtute Sancti Spiritus stricte praecipio per oboedientiam salutarem, quatenus, remotis odio, amore, timore, pretio et precibus, quidquid seis de tali facto, coram me et Fratribus tali et tali, dicas hodie, per totam diem, quam tibi pro peremptorio termino assigno. Quod, si hoc praesens mandatum meum non adimpleveris seu contempseris observare, te, ex nunc pro ex nunc, trina monitione praemissa in his scriptis, vinculo excommunicationis innodo. Lecta et lata haec sententia anno domini, etc., in Capitulo loci Sancti Augustini, in tali terra.

## ADDITIO

Circa tricesimum primum capitulum de officio Prioris addicimus inhibentes ne quis Prior ullo modo pecuniam sui Conventus recipiat, pertractet, expendat, seu alias quovis modo de officio Procuratoris se intromittat, nisi secundum formam nostrarum Constitutionum. Si contra fecerit, sit ipso facto ab officio absolutas, et inhabilis permaneat per triennium ad omne officium cum cura animarum.

## CAPITULUM XXXII

### DE MODO CELEBRATIONIS PROVINCIALIS CAPITULI, ELECTIONIS VISITATORUM, DEFINITORUM ET DISCRETORUM, QUI AD CAPITULUM GENERALE SUNT ITURI

249. Cuiuslibet Provinciae omnes conventuales Piores, singuli cum singulis Fratribus a Conventibus eorum electis, die et loco in Capitulo praecedente statutis, semel in anno convenient ad ipsius Provinciae Capitulum celebrandum.

250. Congregatis igitur Fratribus omnibus, qui in loco eodem erunt, in unum, publicetur Vicarius Generalis, qui ex tunc in dicto Capitulo teneat locum eius.

251. In invocatione Sancti Spiritus, in faciendo sermonem et in recitando obitum Fratrum defunctorum ipsius anni servabitur modus per omnia, qui in generali Capitulo est servandus.

252. Deinde Prior Provincialis, ante omnia, officio renuntiet et eidem Vicario sigillum humiliter resignet, quam renuntiationem ipse Vicarius acceptet.



253. Quo facto, procedatur ad electionem primo Provincialis et postea Definitorum, in hunc modum: Fratres de corpore Capituli primo eligent ex se ipsis, non per scrutinium sed publice, in communi, tres Fratres fideles et graves personas, qui audiant et scribant scrutinium de omni electione quam in Capitulo eodem fieri opportebit.

254. Modus autem eligendi tres supradictos Fratres talis erit: Vicarius incipiat ab uno capite, voluntatem singulorum exquires, et illi in quos maior pars concordaverit erunt Scrutatores.

255. Deinde illi tres Scrutatores seorsum sedeant, ita quod ab omnibus videri possint et non audiri. Ad quos quilibet singulariter accedat pro electione futuri Provincialis, et ipsi fideliter scribant, et scribendo primo vota eorum, deinde Fratrum omnium; alias in modo electionis facienda et publicanda procedant secundum quod inferius de forma electionis Prioris Generalis celebranda plenius est notatum<sup>53</sup>.

256. Completo vero scrutinio, unus de Scrutatoribus recitabit coram omnibus quae scripserunt, et ille Frater in quem maior pars electorum concordaverit erit Provincialis<sup>54</sup>.

257. In Provincialem vero talis eligatur Frater, qui nunquam apostatauerit, nec fuerit de aliquo vitio notabili in Ordine convictus vel confessus, et qui sciat distincte loqui latinum. Quod si secus fuerit factum, ipso facto, electionem huiusmodi seu promotionem totis viribus evacuamus.

258. Si autem in iuventute, non propter scandalum alicuius delicti commissi sed ex animi levitate, quis Ordinem exiverit semel, et reversus quasi statim ad Ordinem in eo semper laudabiliter vixerit, poterit cum tali Fratre generale Capitulum dispensare, ut ad omnes indifferenter obedientias Ordinis, si alias sufficiens et idoneus fuerit, admittatur. Si vero, bis quis, quocumque modo, apostatauerit, ad praedictum officium provincialatus ineligibilis, sine dispensatione aliqua, perpetuo permanebit<sup>55</sup>.

259. Si vero Prior Provincialis, casu aliquo scilicet infirmitatis vel cuiuscumque alterius excusabili occasione detentus, ad Capitulum provinciale non iverit, a die praefissa in antea ad memoratum Capitulum celebrandum sit ipso facto a prioratus officio absolutus et ad electionem successoris penitus procedatur. Quam, si Generalis Prior praesens fuerit et eam canonice et de persona idonea celebratam invenerit, confirmabit; alioquin, ad eum pro confirmatione mittatur.

260. Quod si Provincialis, iustum excusationem non habens, ad memoratum Capitulum venire contempserit, ex tunc usque ad decennium, ad omne officium cum cura animarum ineligibilis permanebit.

261. Deinde eligantur Definitores per scrutinium, et illi quatuor Fratres de corpore Capituli, qui habuerint plures voces pro Definitoribus habeantur, non obstante si in omnibus

<sup>53</sup> VERODUN.: ... et ipsi fideliter scribant, primo vota sua et postea singulorum, sive quod quilibet dixerit pro sua voluntate. Así concluye el párrafo.

<sup>54</sup> VERODUN.: Lo coloca después del n. 258

<sup>55</sup> nn. 258-259. VERODUN. *intercala*: Circa vero electiones statuimus, quod Piores et Discreti locorum Provinciae habentium octo Fratres conventuales professos, numerato Priore, in omni electione fienda in provinciali Capitulo habebunt singuli voces suas. Piores vero et Discreti locorum habentium minorem numerum Fratrum, unam tantum habebunt vocem. Quod si dissentient, praevalebit vox Discreti (Cfr. Cap. generale del 1324, AnA III, 467 y Additio de la pagina 88, párrafo 1). Completo vero scrutinio... (=256). Sigue el número 259.



quatuor, vel in aliquo eorum, non concordaverit maior pars Capituli, dummodo iidem plures voces habeant, quam alii ad idem officium nominati.

262. Quo facto, Discreti omnes litteras a suis Conventibus, quas tulerunt. Vicario et Definitoribus assignent.

263. Deinde Vicarius teneat Capitulum de culpis; in quo Capitulo primo omnium Frater qui cessit in provincialatu, vel idem, si denuo fuerit electus, dicat suam culpam. Deinde ceteri Fratres qui culpabiles se cognoscunt. Primo proclamationes, culpae et excusationes eorum, uno loquente ceteris tacentibus, audiantur, et culpae omnes omnium redigantur in scriptis, ut tam super culpis quam super literis porrectis, et aliis omnibus quae proposita fuerint. Definitores ipsi cum Vicario deliberent atque definiant quidquid secundum Deum, servata forma Regulæ et Constitutionum, ad bonum statum Ordinis et conservationem universitatis viderint expedire.

264. Quicumque vero Provincialis de receptione munerum vel donorum probabiliter fuerit convictus, a Vicario Generali, vel Provinciali seu ab eius vicem gerente, ad restitutionem omnium perceptorum seu ad extimationem eorum, si ea in substantia quam accepit non habuerit, sine minutione aliqua, penitus constringatur; et omnia sic restituta communitati Provinciae iudicentur et ipse, tanquam de furto convictus, ineligibilis ad omne officium Ordinis per quinquennium remanebit.

Hoc addito, ut si pro palliatione furti vel cuiuscumque vitu carnalis compertum fuerit aliquid accepisse, gravioribus culpis tribus mensibus subiacebit<sup>56</sup>.

265. Quod si Frater aliquis Priorem Provincialem, cui excessus positi infra in capitulo de officio Provincialis, vel aliqui de excessibus ipsis fuerint sic sufficienter probati, excusare a culpa ipsius excessus vel a poena culpae defendere attentaverit, tanquam apostata, et rebellis et infidelis Ordini corrigatur.

266. Vicarius autem, et Definitores illi, et Prior Provincialis vel vicem eius gerens, qui, secundum quod scriptum est, de restitutione rerum et de poena adiecta, quamvis in se ipsis observaverint, non fecerint per alios observari, poenae simili per omnia subiaceant.

267. Et licet omnia cum multa gravitate debeant terminare, specialiter tamen cum omnimoda deliberatione et diligentia super Priorum conventionalium destitutione vel institutione et Fratrum mutatione procedant, prout eis secundum Deum expedire et bonum statum Ordinis videatur. Nam, licet eisdem Provinciali vel Vicario et Definitoribus sit ex Constitutionis auctoritate concessum, ut de aliquo sibi in Priorem petitio a Conventu eidem Conventui provideant, Constitutionem tamen quae de provisione huiusmodi loquitur observantes, talem de sibi petitis praepontant, qui sit bonae famae et vitae, et scientiae competentis, et Ordinis zelator et promotor manifeste et apparenter existat. Quod si alicubi aliter factum inventum fuerit, quam citius id Provinciali seu Visitatoribus constiterit, eum sic promotum ab officio Prioratus absolvant. Quod si non fecerint, Generalis Prior eum sic insufficienter promotum absolvat, et pro meritis culpae commissae poenitentiam dictis promotoribus et Provinciali, qui eum sic sustinuit, secundum quod suae providentiae expedire videbitur, imponat<sup>57</sup>.

<sup>56</sup> VERODUN... Hoc addito, ut si per simoniam vel palliationem furti... (Cfr. n. 429.)

<sup>57</sup> VERODUN.: auctoritate concessum, ut in reconfirmatione Priorum conventionalium nominatorum a Conventibus sicut videbitur eorum discretioni procedant, diligenter tamen attendant ut nullum



268. Provincialis ergo seu Vicarius et Definitores, qui habent merita hominum et locorum exigentias ponderare, solcite et atiente cavere debent, ne, Dei timore postposito et Ordinis honore ac bono statu spreto, quod debent conculcare paeponant, et quod debent exaltare opprimant et conculcent, quia in his et similibus non vocarentur Religionis filii, sed Dei et ipsius Religionis penitus odibiles inimici<sup>58</sup>.

269. Non bonae autem famae illum intelligimus, qui, sine satisfactione et emendatione longi temporis, de aliquo vitio vel peccato gravi confessus fuerit, vel convictus seu communiter infamatus.

270. Vicarius vero Provincialis et Definitores in Capitulo provinciali unicuique loco provideant de Fratribus, secundum quod eis videbitur expedire, Deum pae oculis habentes. Ita tamen quod ad minus in quolibet loco duos Sacerdotes ponant, et, nisi pro magna et inexcusabili necessitate, mutationes infra annum non faciant<sup>59</sup>.

271. Deliberatione enim supra praedictis omnibus habita diligent, duo Visitatores, qui sint viri religiosi et approbati, homines bonae famae, qui totam Provinciam visitent; et post eos, Fratres qui sunt ituri ad generale Capitulum, si sequenti anno illud debeat celebrari, per scrutinium eligentur. Eodem modo, post praedictos, volumus unum vel duos Fratres Procuratores in qualibet Provincia eligi, ad quorum manus bona omnia communia ipsius Provinciae debeant pervenire.

272. Fratres autem qui Definitores fuerunt in Capitulo alicuius Provinciae, ad idem officium in eadem Provincia non elegantur, nec eligi possint in sequenti Capitulo. Et hoc idem servetur de Visitatoribus eligendis in Provincia et Definitoribus et Discretis generalis Capituli<sup>60</sup>.

273. Ad generale Capitulum Provincialis Prior cum duobus Fratribus vadat, et ex eis tribus unus sit Definitor et alii Discreti. Definitores vero generalis Capituli tales in ipsis provincialibus Capitulis elegantur, qui non sint iuvenes, in Ordine saltem per quindecim annos steterint et qui nunquam cum scandalo ab Ordine apostataverint, nec fuerint de aliquo vitio notabili notati, nec de aliquo alio Ordine fuerint vel apostataverint, et sint conventuales de eadem Provincia. Similiter et Discreti<sup>61</sup>.

274. Capitulum vero provinciale Provinciae in qua celebrabitur Capitulum generale, immediate, eodem anno, in eodem loco, ad vitandum discursus, celebretur.

275. De provisione vero Prioris et Fratrum novi loci capiendi Definitores in solo Provincialis arbitrio non relinquunt. Ad receptionem autem novi loci Prior Provincialis consilium et consensum Definitorum et aliquorum seniorum de Provincia requirat. De habitis tamen nullum locum, alibi quam in provinciali Capitulo, et de consilio et consensu Definitorum et Priorum ibidem existentium, relinquat seu relinquiri permittat sine consensu Generalis Prioris, qui prius et pae omnibus debet requiri, nisi, propter nimiam distantiam

---

reconfirment, vel de novo praefidant in Priorem, nisi bonae famae fuerit et scientiae competentis. Et si alicubi aliter factum.

<sup>58</sup> VERODUN.: *Omitido.*

<sup>59</sup> nn. 270-271. VERODUN. *Intercala:* Conventum enim, qui suum Priorem repetierit in officio confirmari, exaudiant, si alias eum Provincialis vel Vicarius et Definitores invenerint esse dignum.

<sup>60</sup> VERODUN.: Si autem uno anno aliquis in aliqua Provincia Visitator, vel in provinciali vel generali Capitulo fuerit Definitor, in anno proximo sequenti, in Provincia eadem, Visitator seu Definitor, in sequenti Capitulo generali vel provinciali non erit.

<sup>61</sup> VERODUN. *Omite las palabras finales:* et sint conventuales de eadem Provincia. Similiter et Discreti.



loci, commode haberi non possit. Caveant autem attente ut nullum locum infra mensuram cannarum Praedicatorum et Minorum Fratrum recipient<sup>62</sup>.

276. Quaestam in Provincia faciendam ita prudenter interloca Provinciae dividant, et de ea ita modeste et religioso disponant, quod ex multiplicitate Fratrum petentium, nullum possit scandalum generari<sup>63</sup>.

277. In Provincia autem Prior Provincialis carceres fieri faciat, si in ea sufficientes non sunt. Ita quod ad minus in quolibet loco, in quo morantur ultra quattuordecim Fratres, sit carcer unus bonus et securus<sup>64</sup>.

278. Postquam vero Definitores cum Provinciali vel Vicario deliberaverint super omnibus diligenter, congregabunt Capitulum, et legatur publico coram Fratribus quidquid definitum est<sup>65</sup>.

279. Novissime autem, determinatis loco et tempore ubi et quando sequens Capitulum provinciale celebrari debeat, fiant recommendationes familiarium et benefactorum Ordinis et sic servata ex tunc forma quae servatur in Capitulo generali, in pace revertantur Fratres ad eorum loca.

#### ADDITIO

Circa tricesimum secundum capitulo de celebratione Capituli provincialis addicimus quod littera vicariatus legi debet inter vesperos consuetos et solis occasum, die praecedente diem electionis, qua lecta qui primo iuxta formam litterae, infra septam loci existens, vicariatus officium assumpserit, ex tunc regat in toto Capitulo, etiam si praecedenter nominatus, post publicationem litterae supervenerit consequenter. Vicarius autem et Definitores ordinent Provinciali unum maturum socium cum provisione et expensis decentibus, cum quo et non cum alio, Provincialis Provinciam visitabit. Vicarius et Definitores non possint ultra communem collectam, aliquam novam exactionem imponere, absque maioris et sanioris partis de corpore Capituli assensu.

---

<sup>62</sup> VERODUN.: De provisione vero Prioris et Fratrum novi loci capiendi Definitores in Provincialis arbitrio non relinquant. Locus autem novus non capiatur, nec alter relinquatur sine Generalis Prioris licentia speciali. De providendo tamen loco novo de Priore et de Fratribus idoneis, et de illis qui in (*de?*) loco deferendo fuerint collocandi, ipsimet durante Capitulo providebunt. Caveant tamen atente, ut nullus locus infra distantiam cannarum Praedicatorum et Minorum Fratrum, quantumque pacificus, a Fratribus ipsius Provinciae nullatenus occupetur.

<sup>63</sup> VERODUN.: De quaesta insuper facienda cum aliis Discretis viribus taliter ordinent, ut in eleemosynis petendis Provinciae nullum scandalum possit generari.

<sup>64</sup> VERODUN.: Si enim in Provincia non fuerint carceres, ordinent quod in aliquibus locis fiant, et boni et securi, ad expensas totius Provinciae.

<sup>65</sup> VERODUN.: ... congregabunt Capitulum, et unus eorum publicabit quidquid definierunt coram eis, exprimens, legendi Capitulo, Piores locales absolutos; Piores vero qui non fuerint absoluti non nominentur, sed ad loca deputata pro Prioribus revertantur.

nn. 278-279. *Intercala*: Fratrem autem illum, quem Conventus aliquis per suas litteras Vicario et Definitoribus petitionem eius miserint, quam admittere debent si personam dignam petierint, ipse Vicarius talem Fratrem sic petitum in Priorem ipsius loci praeficiat et confírmet, et regat Provinciam (*leg. Conventum*) (*Subprior vel Vicarius*) donec praedictus electus fuerit confirmatus et cooperit in ipsa Provincia ministrare.